ALexander, superato Dario, et Persarum regno in suam potestatem redacto, magnificè de se sentiens, et ob prosperam fortunam quâ usus fuerat, tum demum ad Deorum usque sortem evectus, Græcis scripsit, ut se Deum suffragiis decernerent: satis quidem ridicule: *neque enim quæ natura ei largita non fuerat, hæc ab hominibus petendo erat consecuturus.* Itaque aliis alia statuentibus, Lacedæmonii decretum ejusmodi fecerunt; *Quoniam Alexander Deus esse vult, Esto Deus:* Laconicè simul, et patrio more redarguentes Lacedæmonii vecordiam Alexandri.

Cap. XVI.

Quomodò Annon seipsum voluerit pro Deo venditare.

ANnon (p. 11.) Carthaginiensis præ nimio luxu noluit intra hominum septa permanere: sed præstantiorem de se famam disseminare statuit, quàm Natura, quam esset sortitus, pateretur. Postquam igitur quamplurimas aves, cantui perdiscendo aptas, coëmisset, eas in tenebris aluit, unam edere cantilenam docens, *Deus est Annon.* Quæ quum, hâc unâ auditâ voce, eam penitus percepissent; aliam aliò dimisit, arbitratus hoc avium carmen de se passim vulgatum iri. At illæ semel, alis solutis, libertatem adeptæ, et ad consuetum sibi reversæ victum, proprias ediderunt

voces.

voces, aviumque modulationes recoluerunt, longo Vale Annoni doctrinæque, quam in servitute acceperant, dicto.

Cap. XVII.

De Antigoni regis mansuetudine.

ANtigonum regem ajunt popularem clementemque fuisse. Cui igitur vacat pernoscere res hominis gestas, et singulas secum perpendere, sciet aliunde. Dicetur tamen ejus hoc facinus (p. 12.) clementissimum, et ab omni fastu alienum, quod jam locuturus sum. Hic Antigonus, quum cerneret filium violentiorem se et superbiorem gerere erga subditos: *An nondum*, inquit, *novisti, fili, regiam nostram potestatem, nobilem esse servitutem?* Atque hæc Antigoni verba, quibus filium allocutus est, maximam mansuetudinem habent, ac humanitatem. Qui verò id non approbat, is quidem mihi videtur neque regium, neque civilem nôsse virum quemquam, sed tyranno potius alicui convixisse.

Cap. XVIII.

De minutissimis quadrigis, et disticho elegiaco.

HÆC utique sunt, quæ admiratione digna existimantur, Myrmecidæ Milesii, et Callicratis Lacedæmonii, minuta opuscula. Quadrigas fecerunt, quæ sub musca possent abscondi; et in Sesamo distichon elegiacum aureis literis inscripserunt. Quorum sane neutrum, meâ sententiâ, laudaverit sapiens. Quid enim aliud hæc sunt, quàm temporis jactura?

Cap. XIX.

De admirabili dementia Thrasylli.

THrasyllus (p. 13.) Æxoneus inaudito quodam ac novo dementiæ morbo laborabat. Nam, urbe relictâ, descendebat in Pyræeum: quumque ibi habitaret,

ret, omnes naves, quæcunq; in eum subducerentur, suas esse arbitratus, in album rettulit, rursusque; et si quæ salvæ et incolumes in portum ingrederentur, supra modum gavisus est. Multos autem annos hoc morbo tenebatur. Demum frater ejus è Sicilia decedens, eum medico sanandum tradidit; atque ita eum reliquit morbus. Sæpissime autem prioris amentiæ, in qua versabatur, mentionem faciebat: et se nunquam tantum gaudii percepisse dicebat, quantum lætaretur navibus, quæ tamen ad se nihil pertinerent, è mari servatis.

CAP. XX.

De Cæsaris et Pompeii studio ea discendi, quæ ad Rempublicam bene administrandam pertinerent.

NON dedignatus est Cæsar Aristonis januam frequentare, nec Pompeius Cratippi. (p. 14.) Neque enim, quòd ipsi plurimum auctoritate valuerunt, eos, qui sibi maxime possent prodesse, contemnebant. Verùm eorum consilia expetebant, quanquam in tanta essent dignitate. Non enim imperare, ut videtur, sed recte imperare cupiebant.

CAP. XXI.

Ismenias sine turpitudine Persarum regem adoravit.

ISmeniæ Thebani sapiens et plane Græcum factum, silentio neutiquam præteribo. Is patriæ causâ legatione ad regem Persarum susceptâ, venit, ac voluit ipse de suo negotio Persam convenire. Tribunus itaque militum, cujus est mandata à nuntio accepta ad regem deferre, et admittendos ad eum introducere, hunc allocutus est: *Verùm, O Thebane hospes,* (hæc autem joco loquebatur per interpretem: nomen adeo erat tribuno Tithraustes) *lex est apud Persas recepta, ut is, qui in conspectum regis venit, non ante sermones cum eo conferendi copiam obtineat, quàm eum adoraverit. Quòd si igitur vis ipse eum convenire, necesse est, quod lex jubet, peragas:*

Sin

Sin minus, idem tibi etiam per nos præstabitur, quamvis ipse non adoraveris. Ismenias verò, *Duc me,* inquit. Quum autem accessisset, regique jam esset oblatus, (p. 15.) annulum, quem fortè gestabat, è digito detractum clam projecit ad pedes, confestimque procumbens, tanquam adoraret, sustulit eum iterùm, et opinionem quidem adorationis Persæ præstitit: nihil tamen commisit, quod Graiis dedecus allaturum esset. Quicquid igitur voluit, impetravit: neque ulla res fuit, quam non à Persa assequeretur.

CAP. XXII.

De Zeuxidis Helenæ imagine, et Nicostrato pictore.

ZEuxis Heracleota Helenam pinxit: Nicostratus verò pictor stupefactus imaginem intuebatur, sic ut manifestum esset eum picturam deperire. Accedens itaque quidam rogabat, Quid tandem tibi accidit, ut adeo artem admireris? At ille, *Non,* inquit, *id me rogares, si meos oculos haberes.* Ego verò idem de oratione dixerim; modò quis eruditas habeat aures, sicut opifices oculos artis peritos.

CAP. XXIII.

Æschylus, impietatis nomine condemnatus, quomodo evaserit.

ÆSchylus Tragœdus ob quoddam drama impietatis postulabatur. Quumque Athenienses jam parati essent eum lapidibus obruere, Amynias junior frater, detectâ veste, cubitum ostendit manu carentem. Accidit autem, ut Amynias, dum in Salamine fortissimè pugnaret, manum amiserit; et primus ex omnibus Atheniensibus fortitudinis præmium consequeretur. Ubi verò judices id, quod homini acciderat, animadverterunt, repetentes facinorum ejus memoriam, Æschylum dimiserunt.

Cap. XXIV.

De Fortunæ vicissitudine.

QUIS verò est, qui instabiles et repentinas Fortunæ commutationes ignoret? Lacedæmonii scilicet, quum Thebanorum domini essent, adeò rursus ab illis fuerunt subacti, ut Thebani non solùm in Peloponnesum pervenirent, verùm etiam Eurotam transirent, (p. 17.) et Lacedæmoniorum fines devastarent; ac parum abfuit quin urbem etiam ipsam cepissent, ni veritus esset Epaminondas, ne universi Peloponnesii, conspiratione factâ, pro Sparta dimicarent.

Cap. XXV.

De Alexandri Pheræorum tyranni crudelitate.

ALexander Pheræorum tyrannus, maximè omnium truculentus esse videbatur: Theodorô verò, tragicô poetâ, cum acri animorum affectu Aëropen agente, in lacrymas prorupit, deinde è theatro excessit. Verùm purgans se, dixit Theodoro, Se non idcirco abiisse, quòd illum aut aspernari, aut ullo dedecore voluerit afficere: *Sed ipsum quòd puderet, si histrionis affectionibus misericors videretur, suorum verò civium non item.*

Cap. XXVI.

Quòd Phocion injuriæ acceptæ memoriam animo haud tenuerit.

PHocion, (p. 18.) Phoci filius, qui sæpe exercitibus præfuit, morti adjudicabatur, et erat in carcere, jamjam cicutam bibiturus. Quumque ipsi calicem lictor porrigeret, necessarii rogabant, ecquid filio præciperet: *Hoc*, inquit, *ei mando, ne memoriam hujus propinationis, quam ipse jam bibo, adversus Athenienses animo repositam teneat.* Qui verò eum virum non laudat, et egregiè miratur, is mihi prorsus nihil eximium videtur animo habere.

Cap. XXVII.

De Anaxagora fortiter liberorum mortem ferente.

Anaxagoræ quidam Clazomenio, suis occupato auditoribus, accedens nunciabat, duos ejus filios mortuos esse, quos etiam solos habebat Anaxagoras. (p. 19.) Ille autem nihil perturbatus respondit: *Scivi equidem, me eos mortales genuisse.*

Cap. XXVIII.

Quòd Tachos propter lautiorem victum vitam finierit.

Tachos Ægyptius, donec usus est victu patriæ familiari, et sumptu tenui vixit, omnium hominum integerrimâ fuit valetudine. Postquam verò ad Persas venit, et in illorum luxum delapsus est; quum non posset ferre insolentiam ciborum, vitam intestinorum tormine finivit, luxurioso victu mortem permutans.

Cap. XXIX.

A quo leges suas didicerint Ægyptii: et de illorum judicibus.

Ægyptii leges a Mercurio versibus conscriptas se didicisse jactitant. Ita et singulæ ferè gentes sua (p. 20.) augustiora reddere consultò student. Judices autem apud Ægyptios olim fuerunt sacerdotes. In his princeps erat maximus natu, ac suas lites omnibus dijudicabat: eum verò hominem esse justissimum et continentissimum oportebat. Circa collum imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur *Veritas. Ego vero judicem, non tam factam ex lapide, aut expressam Veritatem, circumferre, quàm in animo eam habere velim.*

Cap. XXX.

De Dionysio, et Philippo.

Congressus olim Dionysio juniori incidebat, et Philippo Amyntæ nato. Quum multi itaque variique, ut assolet, sermones jactabantur, tum in reliquis et illud: Philippus Dionysium rogabat, quomodo, quum tantum imperium accepisset à parente, id quoque non conservasset. Ille autem haud præter rem respondebat: Quòd *reliqua mihi pater reliquit; Fortunam verò, quâ ea paraverat, et conservavit parata, non item.*

Cap. XXXI.

Lex Cretensium de disciplinis.

Cretenses (p. 21.) jusserunt liberorum filios cum quodam musico cantu leges ediscere; ut ex carminibus voluptatem caperent, et facilius eas memoriâ complecterentur; et ne, si quid legibus vetitum admisissent, ignorantiâ se fecisse, excusationem haberent. Secundum, quod eis discendum mandabant, erant hymni *in honorem* Deorum *facti:* tertium, fortium virorum encomia.

Cap. XXXII.

Quemadmodum Socrates animum Alcibiadi fecerit, ut ne plus æquo metueret amplius populum.

Et hæc Socratis ad Alcibiadem *dicta*. Ille, utique adolescens, animi discruciabatur, et vehementer timebat in populi concionem prodire; Socrates verò confidentiorem reddere et excitare volens, *An non* inquit, *sutorem illum* (adjecto nomine) *nihili pendis?* Annuente Alcibiade, rursùm excepto sermone Socrates, *Quid*, inquit, *an non etiam illum, qui in circulis præconia exercet? aut etiam tentoriorum sutorem illum?* Fatente Cliniæ filio, *Nonne*, inquit, (p. 22.) *ex hisce conflatus est populus Atheniensis? Quare si singulos contemnis, con-*

contemnendi tibi sunt etiam congregati. Hæc prudentissimè filius Sophronisci et Phænaretæ *locutus est*, dum filium Cliniæ et Dinomaches institueret.

Cap. XXXIII.

Quòd Romani contra Pyrrhum insidias medici non admiserint.

Cineas medicus Pyrrhi, ut perhibent, clam litteras ad senatum Romanum scripserat, quibus pecuniam petebat, et pollicebatur se Pyrrhum pharmacis interempturum. At illi promissionem hanc repudiarunt. *Etenim Romani virtute fortes esse didicerunt; non dolis utique, et insidiis hostes superare.* Verùm et Cineæ consilium ipsi Pyrrho aperuerunt.

Cap. XXXIV.

Quo animo fuerit erga populum Atheniensem Pericles.

An verò non summâ prosequebatur observantiâ populum Atheniensem Pericles, Xanthippi filius? Mihi quidem ita videtur. Quotiescumque enim verba facturus in concionem prodiret, precabatur, (p. 23) ut sibi nullum ejusmodi verbum temerè excideret, quod populum exasperare posset, quum illi esset contrarium, et suæ voluntati alienum videretur.

Cap. XXXV.

De iis, qui Ephororum subsellia fuligine obleverunt.

Clazomenii quidam Spartam profecti, contumeliâ fastuque insolenti utentes, Ephororum sedes in quibus sedentes jus dicere, et de iis quæ ad rempublicam pertinerent, constituere consueverant; sedes, *inquam*, has fuligine resperserunt; Ephori, re cognitâ, non molestè tulerunt; sed, vocato præcone publico, mandarunt, ut publicè proclamaret hoc sane mirandum: *Liceat Clazomeniis indecora facere.*

Cap. XXXVI.

De Hierone, et Themistocle.

THemistocles Hieronem Olympia venientem, cùm ludi agebantur Olympici, secum equos ducentem, certamine exclusit, dicens: *Eum, qui in* (p. 24.) *maximo periculorum se socium non præbuisset, ludorum solennium participem fieri non oportere.* Et laudem est assecutus Themistocles.

Cap. XXXVII.

Comparatio Demetrii et Timothei Imperatorum.

UTER verò dignior fuit, qui exercitui præficeretur, Demetrius Poliorcetes, an Timotheus Atheniensis? Ego quidem mores utriusque dicam; vobis autem deinde præferre alterum licebit. Demetrius vi atque cupiditate vexans quam potuit maxime, et injuriam inferens, urbes cepit, admotis machinis, concussis et suffossis mœnibus: Timotheus verò persuadendo, ac ratione docendo; *Utilius esse, ut Atheniensium dicto audientes sint.*

Cap. XXXVIII.

Unde certamen Gallorum initium traxerit.

POST victoriam in Persas, Athenienses legem posuerunt: *Ut galli quotannis uno die certamen in theatro publicè inirent.* Unde verò sumpserit occasionem hæc lex, dicam. Quum Themistocles civitatis copias adversus Barbaros educeret, gallos vidit pugnantes: neque ille oscitanter eos vidit. Sed iis exercitu admoto, ita locutus est ad milites: *At hi neque pro patria,* (p. 25) *neque pro Diis penatibus, neque verò pro avitis Heroibus mutuâ se clade afficiunt, neque pro gloria, neque pro libertate, neque pro liberis: sed tantùm ne alter ab altero superetur, aut alter alteri cedat.* Quæ locutus, Atheniensium animos confirmavit. Quod ergo tunc

eis

eis signum ad virtutem extitit, voluit ad similia quoque facinora excitanda memoriam conservare.

Cap. XXXIX.

Quomodo tulerint nonnulli dicteria.

JOCI petulantes et maledicta mihi nullam vim habere videntur. Nam si firmo offendunt animo, dissolvuntur; sin illiberali atque abjecto, valent: et sæpissime non solùm in dolores, sed etiam in mortem conjecerunt. Argumento sint hæc: Socrates scilicet Comœdiæ salibus proscissus, risit; Poliagrus verò, laqueo sibi gulam fregit.

Cap. XL.

Quòd nemo Barbarorum non Deos esse credat.

ET (p. 26) quis non Barbarorum sapientiam laudibus extollat? Siquidem nemo eorum usque ad *contemptum Deorum excidit:* neque in dubium vocant, sint Dii, necne: curentne res nostras, an non. Nemo igitur, neque Indus, neque Celta, neque Ægyptius, eam cogitationem in animum induxit, quam vel Diogenes Phryx, vel Hippon, vel Diagoras, vel Sosias, vel denique Epicurus. Sed Barbari hi, quos commemoravi, contendunt et esse Deos, et nostrî curam gerere; et præsignificare futura per aves, signa, viscera, et alia quædam instituta, atque doctrinas. Quæ scilicet omnia hominibus documenta sunt divinæ erga ipsos providentiæ. Iidem etiam dicunt et per insomnia, et stellas ipsas, multa *nobis* esse prædicta. Atque hæc immotâ fide tenentes, purè rem divinam faciunt, castimoniam sanctè colunt, (p. 27.) ceremonias obeunt, Orgiorum legem observant, et reliqua perficiunt omnia: ex quibus certum est, quòd Deos mente firmâ colant ac venerentur.

Cap. XLI.

De Alexandro, et lyra Paridis.

ILium profectus est Alexander; cui omnia studiosè contemplanti, quidam Troum accedens monstravit lyram Paridis: At ille: *Majoris*, inquit, *facerem, si lyram possem Achillis videre, quàm hanc Paridis*. Desiderabat enim strenui militis instrumentum, quo ille fortium virorum laudes cecinisset. Paridis verò lyra quid cecinit aliud, quàm adulteriis accommodata carmina, et fœminis captandis demulcendisque convenientia?

Cap. XLII.

De animi Cratetis celsitudine.

CRates Thebanus tum in aliis rebus magno vir animo deprehensus est, et contemptor eorum, quæ vulgò (p. 28) admirationi sunt: pecuniarum enimvero, ac patriæ. Quod igitur suas facultates Thebanis cesserit, id in omnes emanavit: alterum verò factum ejus non adeo omnibus innotuit. Est autem hujusmodi. Relinquens Thebas denuo jam restauràtas: *Non opus est*, inquit, *mihi civitate, quam Alexander, vel alius, subversurus sit.*

Cap. XLIII.

De Olympiade, propter Alexandrum mortuum ac inhumatum, graviter dolente.

OLympias, Alexandri *mater*, quum audivisset longo tempore jam filium sepulchro carere, graviter ingemiscens, atque acerbissime plorans: *O fili*, inquit, *tu verò quum cæli particeps fieri volueris, idque summo studio conatus sis: nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale et par jus est, particeps fieri potes, terræ sepulturæque.* Atque ita simul infortunium

tunium suum deplorabat, simul etiam inanem filii superbiam redarguebat.

Cap. XLIV.

De Xenophontis studio pulchritudinis.

XEnophonti (p. 29.) tum alia honesta curæ fuerunt, tum verò ut haberet arma pulchra. Ajebat enim, viro, qui hostes vinceret, elegantissimum quoque ornatum convenire; et si vitam amitteret in prœlio, decenter fore extensum in armatura splendida. Hæc enim forti viro vestimenta esse sepulchralia, quæ reverâ ipsum ornent. Dicitur itaque Grylli *filius* habuisse scutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam operis Bœotici, equum Epidaurium. Quæ quidem ego dixerim viri esse elegantiarum studiosi, seque dignum iis, quæ pulchra sunt, judicantis.

Cap. XLV.

Quòd Demosthenes, vocante Diogene, in cauponam introire recusarit.

DIogenes quodam tempore in caupona prandebat; ac prætereuntem Demosthenem vocabat. Qui cùm renueret, (p. 30.) *Te*, inquit, *pudet, ô Demosthenes, in cauponam ingredi? At Dominus tuus huc quotidie introvenit.* Populum intelligens et *de plebe* singulos: significans Concionatores ac Oratores multitudinis servos existere.

Cap. XLVI.

De ultronea morte Calani.

EST et Calani Indi finis dignus, quem laudemus; alius dixisset, quem admiremur: fuit autem ejusmodi. Calanus sophista Indus, quum longum vale dixisse Alexandro, Macedonibus, et vitæ, seipsum è corporis vinculis cupiens liberare; (extructa quidem est pyra in pulcherrimo Babylonis suburbio; et ligna erant

erant arida, et ad provocandam fragrantiam selectissima, è cedro, thymo, cupresso, myrto, et lauro) ille, inquam, solitum postquam obivisset exercitium, (erat autem id cursus) ascendens in medio rogo constitit, coronatus foliis arundinum. Sol verò jam eum (p. 31.) radiis feriebat, quem ipse cultu venerabatur: atque hoc erat signum Macedonibus, ut pyram accenderent. Quod quum fecissent, ille correptus flammis, immotus constitit; neque ante collapsus est, quam *in cineres* erat dissolutus. Ibi etiam Alexandrum ajunt attonitum dixisse: *Calanum potentiores hostes debellare, quàm se.* Nam Alexander cum Poro, Taxila, et Dario contenderat: Calanus verò, cum labore, et morte.

Cap. XLVII.

Quamobrem Aristoteles reliquerit Athenas.

ARistoteles, quum judiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam, qualis esset civitas Atheniensium, respondit, *Pulchirrima*; sed in ea,

Pirum post pirum maturitate senescit; ficus autem post ficum:

sycophantas designans. Et interroganti, cur Athenas reliquerit, respondit: Quoniam noluerit *committere*, ut Athenienses bis peccarent in philosophiam: obscurè Socratis mortem innuens, et suum ipsius periculum.

Cap. XLVIII.

De Timotheo, ac aliis, quibus sua virtus nil profuit.

TImotheum (p. 32.) primò quidem laudibus Athenienses extulerunt: postquam verò ea visus est peccare, quæ secum decreverat, nihil eum juvit pristina fortitudo, ne minimum quidem; neque adeo majorum virtutes. Themistocles verò nihil omnino adjutus est, neque ex navali pugna apud Salaminem, neque ex legatione Spartana: illam dico, quam suscepit, astutè celans Atheniensium murorum ædificationem. Exulavit enim ille non solùm Athenis, verùm etiam ex

tota

tota Græcia. Et Pausaniæ Lacedæmonio nihil adjumenti attulit Platæensis victoria; quin, ubi apud Byzantium novas res moliretur, et rebus Persicis, veluti *morbo*, laboraret, propterea etiam istam gratiam, quam ex vita priore conciliarat, amiserit. Phocioni verò existimatio illa, quâ *Bonus* appellabatur, nihil profuit; neque anni jam septuaginta quinque, quos ille traduxisset, nec vel minimam *eo tempore* injuriam Atheniensibus intulisset. Postquam verò Piræeum Antipatro proditurus videbatur, eum morti adjudicarunt Athenienses.

CAP. XLIX.

De Phocione.

PHocionis, *filii* Phoci, etiam hoc duco laudabile. Quum enim ascendisset ad Athenienses verba facturus pro concione, (p. 35.) postquam eos quædam iniquiora facientes incusassent, sapientissime simul et gravissime dixit, *Malo damnum à vobis accipere, quàm ipse vobis damnum inferre.*

CAP. L.

De Clinia et Achille, qui musica solerent iram reprimere.

CLinias vir fuit honestissimis moribus; sapientiæ autem studio Pythagoreus. Is, si quando in iram delapsus esset, atque ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, derepente priusquam plena sibi ira, ac manifesta appareret, quemadmodum afficeretur, chordis adaptatis, citharam pulsavit. Interrogantibus verò causam, apposité respondebat: *Se animum delinire.* Videtur autem mihi Achilles etiam in Iliade, quum accinit citharæ, majorumque res gestas cantando sibi ipsi in memoriam revocat, *Iram* sopire: Etenim quum esset musicus, ex spoliis *hostium* primam sibi citharam sumpsit.

CAP.

Cap. LI.

Cleomenis dictum de Homero et Hesiodo.

CLeomenes (p. 34.) patrio more, Laconicè dicebat, Homerum Lacedæmoniorum esse poëtam, qui rationem gerendi bella doceret: Hesiodum verò Helotarum, quo modo agri colendi sint, scribentem.

Cap. LII.

De quodam, qui cum gaudio mortem obiit, ut aliquos vitâ defunctos convenire posset.

CIvis Megalopolita ex Arcadia, Cercidas nomine, moriens dixit ad familiares, re consideratâ; Se libentissimè è vita discedere; sperare enim se conventurum ex philosophis Pythagoram, ex historicis Hecatæum, ex musicis (p. 35.) Olympum, ex poëtis Homerum. Atque hæc effatus, ut fama est, animam efflavit.

Cap. LIII.

De Platone.

PLato, *filius* Aristonis, primùm ad artem poëticam animum adjecit, et heroica scripsit carmina, postea combussit ea nihili faciens, quum ad Homeri versus collata, longè inferiora esse videret. Proinde Tragœdiam aggressus est, et jam *Tetralogiam* perfecerat, dederatque certaturus histrionibus poëmata. Verùm ante Bacchanalia foras egressus, audivit Socratem: cujus *eximiâ* suavitate semel captus, non solùm a certamine tunc se abstinuit, sed in totum etiam scribendarum Tragœdiarum studium abjecit, et se ad philosophiam accinxit.

CAP. LIV.

Quòd interdum ne in morte quidem requiem impetrent mali; ac de Pausania.

ERGO (p. 36.) malis ne mors quidem prodest, quoniam neque tunc possunt quiescere. Sed aut prorsus destituuntur sepulturâ; aut si fortè sepeliantur, tamen supremum honorem et communem omnium corporum portum, amittunt. Sic Pausaniam Lacedæmonii, Medis studentem, non solùm fame interemerunt, sed insuper cadaver ejus extra terminos *patriæ* ejecerunt: ut refert Epitimedes.

CAP. LV.

De sene Ceo, qui capillos tinxerat.

CEUS quidam, ætate jam provectus, venit Lacedæmonem: quum verò et aliàs esset jactabundus, etiam senectutis suæ eum pudebat, ac propterea canos occulere conabatur tinctura. Itaque quum in conspectum Lacedæmoniorum prodiisset, ostensô tali capite, exposuit quorum gratiâ venerat. Consurgens autem Archidamus, rex Lacedæmoniorum, *Quid*, inquit, *hic sani dicat, qui non solùm in animo mendacium, verùm etiam in capite circumfert?* Explositque ejus dicta, ingenium Cei redarguens, ex iis quæ oculis cernebat.

CAP. LVI.

Lysandri, seu Philippi apophthegma de perjurio.

P*Ueros* (p. 37.) *talis, viros juramentis, oportet circumvenire.* Quidam adscribunt hoc dictum Lysandro, alii verò Philippo Macedoni. Sed utercunque fuerit, meâ sententiâ, et fortasse nullius præter opinionem erit, haud rectè dicitur. Neque verò mirum videatur, si eadem mihi, et Lysandro minime placeant.

ceant. Nam ille tyrannidem exercebat; ego verò ut sentio, manifestum est, unde mihi hoc dictum non probetur.

Cap. LVII.

Quemadmodum Macareus pro sua immanitate à Diis immortalibus puniebatur.

Mitylenensis quidam nomine Macareus, sacerdos Bacchi, ipso quidem aspectu, mitis erat et modestus, sed omnium hominum longè scelestissimus. Cùm ad eum hospes adiisset, eique in manus tradidisset depositum, magnam vim auri, in recessu fani, terrâ effossâ aurum condidit. Interjecto tempore reversus hospes, aurum reposcebat; ille autem ubi introduxisset, tanquam redditurus, morte hominem affecit, atque auro effosso hospitem (p. 38.) ejus loco defodit; ratus ut homines ita et Deum se fallere; verùm hæc longe secus evenerunt.

Nec ita multo intercedente tempore, festa Dei triennalia aderant; atque ille magnificè sacrificabat, et totus erat in celebrandis Orgiis occupatus. At ejus filii duo intus relinquebantur in ædibus; qui, dum patris immolationem imitarentur, ad aram Penatium accessêre, sacris adhuc ardentibus. Ibi junior collum præbebat, major verò quum invenisset temerè positum cultrum, fratrem interemit: quô visô, qui domi erant, vocem sustulêre. Mater verò clamore auditâ exiliit, vidensque trucidatum alterum, alterum adhuc manu tenentem cultrum consperfum sanguine, arrepto ex altari torre semiusto, filium interfecit.

Interea nuncius ad Macareum afferebatur, qui, sacris relictis, sicut erat, furore et irâ percitus in ædes insiliit, thyrsoque, quem gestabat, uxorem suam interemit. Hæc facinora utique palam apud omnes evulgentur; comprehensusque Macareus, et tormentis cruciatus, confitebatur, quæ in templo fecisset; et inter supplicia animam emisit. Qui verò injustè occidebatur, publicos honores adeptus, Dei jussu sepeliebatur. Pœnas igitur dedit Macareus justissimas,

(hoc

(hoc autem erat, quod (p. 39.) à Poëta dicitur) cum suo ipsius, uxorisque, et liberorum adeò capitibus.

Cap. LVIII.

De rerum diminutione ac interitu, atque ipso Mundo.

NIhil amplius miramur, si hominum natura, mortalis quum sit et fluxa, eos cogat interire: siquidem et flumina deficere videmus, atque altissimos etiam montes desedisse audimus. Sic Ætnam, aiunt nautæ, propiori ex *intervallo* conspici, quàm antea cernebatur. Idem etiam Parnasso accidisse, et Olympo Pierico. Itemque qui plurimum totius universi naturam considerâsse videntur, aiunt *Mundum etiam periturum.*

Cap. LIX.

Quomodo Pisistratus suos cives tractaverit.

PIsistratus, (p. 40.) quum jam regnô potitus est, accersebat eos, qui apud forum otiando tempus tererent: et interrogabat, quænam causa esset ipsis in foro negligenter oberrandi; simulque dicebat: *Si tibi boves aratores mortui sunt, de meo cape, atque ad labores te confer: Sin egenus, et inops es seminum, de meo dentur tibi:* Veritus, ne horum otium insidias pareret.

Cap. LX.

De Veritate, et Beneficiis.

PYthagoras dicebat, hæc duo divinitùs hominibus data esse longè pulcherrima: *Veritatem edicere, et aliis benefacere.* Atque insuper addebat: utrumque Deorum operibus quàm proxime accedere.

Cap. LXI.

De Theramene.

Theramenes quum fortè in domo quadam versatus, inde prodiisset, illa subito lapsu corruit. (p. 41.) Atque quum Athenienses alii aliunde ad eum confluentes adhærerent, ac inauditæ saluti congratularentur; ille, præter omnium spem, respondebat: *O Jupiter, cuinam me tempori reservas?* Nec multò pòst à Triginta *Tyrannis* de medio sublatus est, coactus cicutam bibere.

Cap. LXII.

De insigni malo Punico Persarum regi donato.

Misses Artaxerxi per Persidem iter facienti malum Punicum in vanno maximum obtulit. Rex magnitudinem ejus summè admiratus, interrogavit, *è quonam horto depromptum hoc donum mihi adfers?* Illô verò respondente, Domo, et ex sua ipsius agricultura: gavisus est rex supra modum; et missis regiis muneribus, *Per Solem*, inquit, *iste homo tali diligentiâ poterit etiam civitatem, meô quidem judiciô, ex parva ampliorem reddere.* Videtur autem hic sermo confiteri; "Omnes res curâ et continuâ solicitudine, ac labore indefessô, præstantiores, quàm Natura produxerit, effici posse".

Cap. LXIII.

Quòd Ægyptii patientes sint tormentorum: Et de mulieribus Indicis.

Ægyptios aiunt patientissimè ferre tormenta: et citiùs mori hominem Ægyptium (p. 42.) excruciatum, quàm veritatem prodere. Apud Indos verò eundem ignem, cum mortuis conjugibus, uxores sustinent. Contendunt etiam de hoc ambitiosè viri defuncti uxores: cui verò sors obtigit, ea simul comburitur.

Cap.

CAP. LXIV.

Quid Diogenes de Megarensibus pronunciaret.

DIogenes Sinopensis multa dicebat, ignorantiam inscitiamque redarguens Megarensium; *Se nempe Megarensis alicujus arietem esse malle, quàm filium.* Quô obscurè significabat, "Megarenses pecoris curam gerere, liberorum nullam".

CAP. LXV.

Describuntur Tempe Thessalica.

AGE igitur, quæ vocantur Tempe Thessalica, jam delineamus oratione atque effingamus. (p. 43.) Nam in confesso est, orationem, si explicandi vim habeat, haud imbecillius quæ velit ponere ob oculos, quàm viros manuum artificio præstantes.

Est itaque regio inter Olympum et Ossam sita. Sunt autem hi montes altitudine immensâ, et quasi divinâ quadâm curâ disjuncti, atque in medio locum complectuntur; cujus longitudo ad quadraginta stadia porrigitur; latitudo verò in aliis partibus jugerum continet, in aliis paulò etiam plus. Per hunc medium labitur, qui Peneus appellatur, in quem reliqui fluvii confluunt; et aquam ei communicando, ingentem Peneum efficiunt. Secessus quoque varios, atque omnis generis habet hic locus, haud manuum humanarum, sed Naturæ ipsius operâ spontaneâ, ad venustatem se ambitiosè componentis, quum primordium sibi hæc regio acceperit. Nam in ea hedera copiosa et admodum densa viget ac floret; et instar generosarum vitium, proceris arboribus (p. 44.) inserpit, atque ipsis adnascitur. Et smilacis adeò magna copia: hæc quidem ipsi adrepens colli, saxum inumbrat, ita ut illud etiam lateat. Omnia vero undique viridantia conspiciuntur, ut veluti quædam sit oculorum *Panegyris.*

In ipsa planitie locisque demissioribus, varia sunt

nemora, et recessus continui, æstivo tempore gratissima, ad quæ confugiant, viatoribus receptacula, quæ præbent, ut suaviter refrigerari possint. Diffluunt etiam rivi crebri, et aquarum frigidarum scaturigines, adque bibendum suavissimarum. Has aquas perhibent prodesse etiam lavantibus, et ad sanitatem conferre. Concinunt etiam aves hinc inde dispersæ, et inprimis musicæ, quæ aures magnâ excipiunt voluptate; atque indefessos cum lætitia deducunt, modulationibus suis prætereuntium laborem auferentes. Ad utrumque latus fluminis prædicta sunt diverticula, et loca requieti accommoda. Per media verò Tempe incedit Peneus, quiete et leniter profluens in modum olei: p. 45.) multæ itidem et umbræ super eo, quæ ab assitis arboribus, ramisque consociatis ortæ sunt; ita ut maximâ diei parte projectæ solares radios arceant, et profectionem navigantibus frigore temperatam præbeant. Omnis autem vicinus populus, alii cum aliis conveniunt, et sacra faciunt, cœtusque obeunt, atque comessantur. Quum igitur multi sunt, qui sacris operentur, et res divinas continuo peragant, fit, ut istac iter facientes, aut navi vectos, odores unà accomitentur suavissimi. Ita Deorum scilicet cultus indesinens, locum sanctum efficit.

Hic aiunt Thessali, Apollinem Pythium ex mandato Jovis se purgâsse, quum Pythonem Serpentem adhuc Delphos tenentem, Terra oraculum habente, jaculis interemisset: deinde verò ramo (laurus ibidem natæ) in dextram sumpto, venisse Delphos, et oraculum occupasse Jove et Latonâ natum. Est etiam ara in eo loco, ubi coronam capiti imposuit, et ramum abstulit.

Proinde (p. 45.) etiamnum nonô quoque annô Delphi nobiles pueros mittunt cum *Sacrorum præfecto*, unô ex ipsis: qui advenientes magnificè rem divinam faciunt intra Tempe, et nectentes serta ex eadem lauro discedunt, quâ tunc temporis Deus etiam Amans coronatus est. Eâ verò viâ veniunt, quæ dicitur Pythias, et ducit per Thessaliam, Pelagoniam, Œtam, Ænianum regionem et Meliensium, et Doriensium, et

Locrensium

Locrensium Hesperiorum. Qui etiam deducunt pueros cum reverentia et honore, non minus quàm illi eos, qui ex Hyperboreis sacra ferunt eidem isti Deo, venerantur. Cæterùm etiam in Pythiorum ludis ex eadem lauro victoribus dant coronas. De Tempibus igitur Thessalicis hæc mihi jam dicta sufficiant.

CAP. LXVI.

Quomodo Antalcidas, munus sibi missum, et delibutum unguento, reprehenderit.

PErsarum (p. 47.) rex (nam volo quiddam vobis festivum enarrare) coronam unguentô persusam, quæ ex rosis erat contexta, Antalcidæ misit, de pace apud eum legationem obeunti. At ille, *Accipio equidem*, inquit, *donum, et benevolentiam collaudo: sed odorem rosarum, naturæque fragrantiam, artis adulterio perdidisti.*

CAP. LXVII.

De servo Diogenis à canibus discerpto.

QUUM Diogenes patriam relinqueret, unus ex servis eum secutus est, nomine Manes; qui, cùm non ferret ejus vivendi rationem, aufugit. Quúmque Diogenem hortarentur aliqui, ut eum quæreret: *An non*, inquit, *turpe esset, cum Manes Diogenis non egeat, Diogenem Manis indigere?* (p. 42.) Verùm servus ille, quum Delphos errabundus pervenisset, à canibus dilaniatus est, ipso heri sui nomine ob fugam pœnas persolvens.

CAP. LXVIII.

Quomodo Meton seipsum ab expeditione liberavit: Et de insania Ulyssis.

METON astronomus, quum Atheniensium copiæ jam in Siciliam navigationem instituerent, ipse quoque in catalogo referebatur: quúmque certò quæ

eventura essent pericula cognovisset, magno cum metu navigationem vitabat, cupiens se ab hac profectione liberare. Insaniam simulabat, et multa alia fecit, confirmandæ morbi opinionis studiosus; necnon conjuncta incendit domicilia: (erant autem *Pœcilæ* vicina) atque ita eum principes dimiserunt.

Mihi verò videtur Meton melius simulâsse insaniam Ulysse Ithacensi: hunc enim Palamedes deprehendit, illum autem nemo Atheniensium.

Cap. LXIX.

Scythæ cujusdam responsum de frigore.

NIVE (p. 49.) olim cadente, interrogavit Rex Scytharum quendam nudum perseverantem, frigeret necne? Ille è contra eum interrogavit, *rigeatne ipsi frons?* Quúmque ille negâsset, *ergo*, ait, *nec ego quidem: totus enim frons sum.*



EX

EX POLYÆNO.

Cap. I.

PAN.

BACCHI Imperator fuit Pan. Is primus invenit aciem, Phalangem nominavit Cornua instituit dextrum et finistrum. (Hac scilicet de causa Cornigerum Pana fingunt.) Quin et primus hic terrorem hostibus per solertiam et artem injecit. Nam, cùm Baccho in concavo saltu nuntiassent speculatores, infinitas hostium copias in ulteriori parte castrametari, metus Bacchum incessit: non item verò Pana; sed noctu Bacchico exercitui signum dedit, ut maximum clamorem tollerent. His itaque clamantibus, petræ sonum *exceptum* referebant, et cavitas saltûs (p. 51.) longè majorum copiarum fremitum hostibus exhibebat. Quare, metu perterriti, se in fugam conjecerunt. Hoc itaque Panis Strategema magni nos facientes; Echo, Pani amicam, versu celebramus: atque vanos nocturnosque terrores exercituum Pani adscribimus.

Cap. II.

SOLON.

ATheniensès et Megarenses longo tempore bellum de Salamine gesserunt. Victi Athenienses, legem statuerunt; *Qui suaserit navigandum esse ad pugnam Salaminensem, mortis reus esto.* Solon, nihil metuens mortem, legem abrogat. Hoc autem modo abrogat: Simulat insaniam, et, progressus in concionem, Elegia cecinit: Elegia verò erant Martia carmina. His Athenienses ad pugnam excitavit; qui, Musis et (p. 52.) Marte perciti, confestim è portu solvebant, cantu simul ac fremitu militari *læta-bundi*;

bundi; atque Megarenses vi superabant. Ita Salamis iterùm Atheniensium ditionis facta est. Solon verò in summa admiratione habebatur, tum quòd legem antiquâsset furore, tum quòd Musicâ bellum vicisset.

CAP. III.

BIAS.

CRœsus, Lydiæ rex, adversus Insulanos bellum parabat. Lydum Bias Prienensis deterruit, hæc locutus: *Insulani magnum equorum numerum adversus te coemunt.* Ille autem, risu excitato, respondit: *Faxit Jupiter, ut Insulanos in continenti capiam.* Tum Bias: *Quid*, inquit, *credis etiam illos aliud à* Jove *precari, quàm ut Crœsum, continentis incolam, in mari deprehendant?* Hæc Biantis oratio persuasit Crœso, ne amplius adversus Insulas classe navigaret.

CAP. IV.

THEMISTOCLES.

ATheniensibus Deus oraculum dabat:

Murum Minervæ ligneum dat late sonans Jupiter.

Reliquis (p. 53.) Atheniensibus arcem muniendam dicentibus, Themistocles triremes conscendendas esse dixit: siquidem hi sint *lignei* Atheniensium *muri*. Obtemperarunt, conscenderunt, navali pugnâ decertarunt, vicerunt.

CAP. V.

GRÆCI, partâ ad Salaminem victoriâ, statuunt in Hellespontum navigare, et pontem demolire, ne fugere rex posset. Themistocles contrà sententiam dat, dicens, Regem interceptum, statim pugnam redintegraturum. *Sæpe verò desperationem præstare quæ non præstitit fortitudo.* Mittit igitur ad regem denuo alium Eunuchum Arsacen, ita significantem: *Nisi fugiat celerrime, pontem Hellespontì destructum iri.* Rex, metu perculsus, præveniens Græcorum exercitum, transiit

transiit pontem, atque fugâ evasit. Themistocles verò Græcis victoriam extra periculum conservavit.

Cap. VI.

Athenienses (p. 54) urbis muros ædificârunt; quam rem ægrè tulerunt præ invidia Lacedæmonii. Eos Themistocles decepit. Erat autem hic fallaciæ modus: Legatus Spartam profectus est, et Lacedæmoniis negabat, Omnino muros exædificari: *Quòd si fidem*, inquit, *non habetis; præstantissimos viros mittite, qui rem explorent, me retentô.* Illi miserunt. Themistocles verò, missô clàm nunciô, mandavit Atheniensibus exploratores apud se retinere, donec muros extruxerint. Ubi verò essent extructi, ne eos prius dimitterent, quàm ipsum recepissent. Atque hæc quidem facta sunt. Exædificata sunt mœnia, reversus est Themistocles, exploratores redduntur, Athenæ invitis Lacedæmoniis sunt munitæ.

Cap. VII.

Aristides.

Aristides et Themistocles omnium inimicissimi, contrarias in Republica sequebantur partes. At *in Græciam* trajectô Persâ; (p. 55.) se mutuò prehendentes, atque, ex urbe egressi in eundem uterque locum, manû dextrâ demissâ, complicatîs digitîs, acclamârunt: *Inimicitias hic deponimus, donec bellum adversus Persam confecerimus.* Hæc locuti, manus, solutîs digitîs quasi re aliquâ ibi depositâ, sustulerunt: deinde simul obrutâ fossâ redierunt, et per totum bellum in concordia permanserunt. Imperatorum verò concordia Barbaros præcipuè debellavit.

Cap. VIII.

Archidamus, cùm in Arcadia pugnam esset commissurus postero die, Spartiatas confirmavit, noctu arâ excitatâ; circa quam, armis splendidissimis ornatam,

ornatam, equos duos egit. Cùm primùm verò manè esset; manipulares duces, et centuriones, nova conspicientes arma, et duorum equorum vestigia, atque spontaneam aram, enarrârunt Dioscuros venisse unà pugnam inituros. Spartiatæ, sumptis animis, ac *Martio* furore perciti, strenuè pugnârunt, atque Arcadas vicerunt.

CAP. IX.

ARchidamus noctu milites duxit contra Caras. Via erat aquis destituta, aspera, ac longa. Animis indignatis laborem ægrè tulerunt milites: quos consolabatur Archidamus quantum poterat, et ne deficerent hortabatur. Postquam verò, derepentè factô incursû, plurimos hostium interemissent; atque, castellô excisô, ad cœnam se parabant, exultantes victoriâ. Interrogavit eos Archidamus, quando sibi urbem cepisse viderentur? Respondentibus aliis, Cùm impressionem faceremus: aliis, Cùm jacula mitteremus: *Nequaquam*; ait ille; *sed, Cùm viam longam siticulosamque contenderemus. Nam voluntas ad laborem propensa, cuncta superare consuevit.*

CAP. X.

AGESILAUS.

AGesilaus ad Coroneam modò non ad pugnam instruebatur; venit quidam nuntians; *Pisander, Lacedæmoniorum Præfectus classium occubuit, superatus à Pharnabazo.* Ne igitur animi dejectio ac metus incideret exercitum, Agesilaus præcipit nuntiis; *Contraria militibus edicite, Lacedæmonii victoriam in mari adepti sunt.* Sed et ipse processit coronatus, et *Evangelia* sacrificavit, misitque amicis portionem de (p. 57.) victimis. Milites, his auditis visisque, plus audaciæ colligentes, majori alacritate ad Coroneam prælium faciebant.

CAP. XI.

AGesilaus, Atheniensibus ad Coroneam superatis, cùm quidam nunciaret; *Hostes in templum Minervae confugiunt*; jussit eos ut finerent, quocunque vellent, abire; quòd esset periculosum cum illis manum conserere, qui ex desperatione pugnam redintegrarent.

CAP. XII.

CUM Agesilaus in Asiam transiret, et Regis fines vastaret, Tisaphernes inducias fecit; (induciæ verò, ad tres menses erant;) quô Regi persuaderet, ut quotquot essent Græciæ civitates in Asia, eas dimitteret liberas. Græci præfinitum diem exspectabant; At Persa, magnâ manu collectâ, Græcos adortus est. Fit consternatio ac metus. Agesilaus verò, hilari vultu, ac quàm maximè lætabundus, exercitum eduxit; *Gratiam habeo Tisapbernæ*, inquiens, *pro perjurio. Sibi enim Deos hostes reddidit, nobis verò socios. Eamus igitur confidentibus animis, ut qui cum tam potentibus sociis pugnam simus facturi.* Receperunt animos Græci oratione Imperatoris; et, collatis signis, Barbaros fuderunt.

CAP. XIII.

AGesilaus, ortâ seditione Spartæ, ita ut multi armati occuparent collem, sacrum Dianæ Issoriæ, prope Pitanam; instarent autem Bœoti et Arcades, incursione factâ; atque ingens esset trepidatio ob bellum civilemque tumultum; ipse nihil perturbatus est; sed, cùm, armis eos deturbare qui collem obsidebant, periculosum, et supplicare, humile esset; (p. 59) omisit. Ipse verò, solus, inermis, constanti ac imperturbato vultu accedens ad collum; *Non hîc*, inquit, *juvenes vos posui: sed vos in istum collem*; (alium ostendens;) *Vos autem, in hoc castellum discedite, et custodite.* Lacones verò, tanquam eorum consilium de transeundo ad hostes ignoraret, reveriti sunt; atque iis, quæ præcepit,

præcepit, obedienter parentes; discessêre. Noctu verò, principes factionis, numero duodecim, alium alio subducens; seditionem compescuit.

Cap. XIV.

EPAMINONDAS.

EPaminondas apud Leuctra copias contra hostes jam erat ducturus: Thespienses, datâ operâ, ignaviores sequebantur. Ea res haud fefellit Epaminondam: sed, ne ordines turbarentur ipso pugnæ tempore, per præconem edixit; *Bœotorum quicunque velint discedere, detur licentia.* Thespienses unà cum armis abierunt. Epaminondas, armatis qui remanserant instructis et alacribus usus, gloriosam victoriam reportavit.

Cap. XV.

EPaminondas Thebanos ducebat, Lacedæmonios Cleombrotus: Leuctris commissa est pugna: æquo Marte (p. 60.) res gerebatur. Epaminondas à Thebanis petiit; *Unum mihi gressum donate, et victoriam habebimus.* Paruerunt, vicerunt; cesserunt Spartani, et rex Cleombrotus in prælio cecidit.

Cap. XVI.

EPaminondas adhortans Thebanos, ut in Lacedæmonios animô erectô facerent impetum, ingentem serpentem cepit, eisque ostendit; et, capite bestiæ, omnium conspectû, attritô, *Videtis*, inquit, *reliquum esse corpus inutile, capite amissô: ita se habent et hostium capita. Si Laconicum istud agmen contriverimus, reliquum sociorum corpus nullius erit usus.* Hôc exemplô persuasi Thebani, impressione in agmen Spartanum strenuè factâ, dare terga coegerunt; et sociorum multitudo se fugæ mandavit.

Cap. XVII.

HIppodamas ab Arcadibus Prasiis oppugnabatur. Fames erat. Spartiatæ præconem miserunt: quem

(p. 61.) quem in urbem introire Arcades non permiſerunt. Hippodamas à mœnibus præconi reſpondit: *Ephoris nuntia, fœminam ut prohibeant, illam in æde Chalciœci ligatam.* Arcades non animadverterunt, at Lacones intellexêre, eum famem prohibendam ſignificare. Erat enim in æde Chalciœci ſuſpenſa Famis imago, fœmina picta, pallens, macilenta, manibus in tergum revinctis. Itaque hoſtibus quod erat obſcurum, civibus manifeſtum fuit Hippodamantis.

CAP. XVIII.

ARISTOMENES.

ARiſtomenes, Meſſeniorum dux, cùm *Hecatomphonia* ter contra Lacedæmonios ſacrificâſſet; tandem, confectis graviſſimis vulneribus, captus eſt, cum aliis pluribus. Viſum eſt Lacedæmoniis omnes præcipites dare, reliquos nudos, at Ariſtomenem, propter virtutis exiſtimationem, cum armis. Reliqui deturbati obierunt; at Ariſtomenis ſcutum attrahens aerem, molliter (p. 62.) eum in terram detulit. Qui in altum ſuſpiciens, quanquam circumdantia undique præcipitia videret, tamen non abjecit omnino ſpem: ſed univerſum montem circumſpiciens, animadverſo ſpecu anguſto, per quem introirent vulpes, defringens è mortuis humi ſtratis os, apprehensâ unius vulpis caudâ, quamvis ab ea morderetur, unà exiit; anguſtias montis dilatans, ac reſcindens oſſis ope. Egreſſus itaque venit ad Meſſenios, qui jam ad pugnam ituri erant; et repente armis indutus, ipſe phalangem ducebat Lacones Ariſtomenem iterum in armis conſpicati, iterum ducem ſe gerere, iterum inſequi, eum, qui ex præcipitio dejectus fuerat, è quo nemo unquam ſalvus evaſerat, omnes in fugam converſi ſunt, rati ſuperiorem humanâ naturâ virum eſſe.

CAP. XIX.

ARiſtomenes Meſſenius, cùm Lacedæmonii publicè omnes ſacrificia Dioſcuris perſolverent, cum uno

amico, candidos equos ambo confcenderunt, et (p. 63.) capitibus aureas ftellas impofuerunt; atque nocte jam ingruente, mediocri intervallo Lacedæmoniis, extra urbem cum uxoribus et liberis feftum agentibus, apparuerunt. Qui Diofcurorum Apparitionem effe rati, liberius vino et voluptati indulferunt. At illi defcendentes ex equis, ftrictis gladiis plurimos interfecerunt, atque ita equis ablati difceffferunt.

CAP. XX.

HEGETORIDES.

THafum obfidione cingebant Athenienfes. Legem fecerant Thafii: *Qui fcripferit fœdus cum Athenienfibus faciendum effe, mortis reus efto.* Hegetorides Thafius videns multos cives perire diuturno bello ac fame, laqueo circa collum injecto, progreffus in concionem; *Viri*, inquit, *cives, me quidem, ut vobis libet, et quemadmodum è re veftra fit, utimini. At fuperftites cives confervate, legem meâ morte abrogantes.* His auditis, Thafii et legem fuftulerunt, et Hegetoriden incolumem fervârunt.

CAP. XXI.

IPHICRATES.

CUM (p. 64) Iphicrates in hoftes militum agmen educeret, quofdam ignavos ac timidos, metuque pallentes fequi confpicatus, progreffus aliquantulum, voce præconis proclamavit; *Quum hæc expeditio fuerit à nobis fubito fufcepta, fi quis aliquid reliquerit, revertatur, ac pulchrè inftructus redeat.* Lætabantur milites ignavi, et continuò fe fubduxere. At Iphicrates nihil moratus; *Nunc*, inquit, *viri mancipiis ablegatis, nos cum hoftibus manum conferamus; ut foli etiam fructum fortitudinis capiamus.* Hâc re multo confidentiores effecti funt milites, ac fine timidis pugna congreffi victoriam pepererunt.

CAP. XXII.

IPhicrates adversus Lacedæmonios bellum gesturus proficiscebatur. Complures ab eo petebant, hic ut se tribunum constitueret, ille ut quinquagenis ducem præficeret; atque alius centurio fieri, alius manipulum ducere impensius rogabat. Ille petentes omnes in tempus opportunum rejecit: quod tempus erat ejusmodi. Phalangem educit, atque agmine in abditis collocato, ei clam imperat, ut Panicum cieat, quasi hostes jamjam facturi essent impetum. Fit magna omnium (p. 65.) perturbatio: timidi metu perculsi, recesserunt: fortes progrediebantur, hostibus prælii copiam daturi. Iphicrates ridens, confessus est se Panicum cievisse, ut periculum faceret, quinam possent duces agere. His igitur qui manserant, aliis militum tribunatus, aliis cohortis præfecturas dedit: iis vero qui retro pedem tulerant, hos sequi mandavit.

CAP. XXIII.

IPhicrates etiam in agris sociorum vallo castra muniebat: *Non boni ducis esse*, inquiens, *illud*, "*Non* "*putaram.*"

CAP. XXIV.

IPhicrates proditionis reus citabatur, accusantibus Aristophonte et Charete. Erat crimen, *quod ad Embata cùm hostes interficere posset, navale prælium non inierat*. Qui cùm videret judicium in contrariam sententiam ferri, sine dicendi facto, ensem quodammodo judicibus ostendit. Hi vero metuentes, ne totâ sodalitate armatâ circumdaret judicium, (p. 66.) absolutionem ei omnes decreverunt. Post victoriam: decernente quódam, eum judicibus vim adhibuisse, *Amens essem*, inquit, *si pro Atheniensibus bella geram, pro me vero contra Athenienses, non item.*

Cap. XXV.

GESCON.

HAmilcar Carthaginiensium, quos Libya peperit Imperatores, Imperator præstantissimus, quum multa feliciter confecisset bella, in invidiam prolapsus, ab adversarum partium factione affectatæ tyrannidis calumniis impetitus est; cùm ipse morte mulctabatur, tum ejus frater Gescon in exilium actus patriâ carebat. Eorum vero bona publicata inter se cives partiebantur. His ita gestis, Carthaginienses, aliis ducibus usi, cùm plerumque turpiter superarentur, et ne ab hostibus caperentur in periculo essent, pœnitudine ducebantur ob Gesconis exilium, et necem Hamilcaris. Sed Hamilcarem morte affectum non erat in potestate eorum ad vitam revocare: Gesconem autem ab exilio reducebant, ducemque summo cum imperio constituerunt, eique suos inimicos ad supplicium tradiderunt, quocunque modo ipse voluerit.

Gescon (p. 67.) ubi vinctos accepisset, eos jussit in conspectu populi in ventrem humi procumbere; atque ter levi pede singulorum colla conculcavit: *Se satis magnas pœnas*, inquiens, *fraternæ cædis ab iis repetivisse*. Quo facto, inimicos dimisit, hæc addens, *Non malô malum ulcisci velim; sed bonô malum*. Quô factum est, ut cùm ipsi inimici, tum horum etiam familiares, atque omnes Carthaginenses, perpetuo obedientiam Gesconi præstiterint, tanquam optimo Imperatori; statimque commutatio victoriarum in bellis facta est, superante in præliis Gescone, propter subditorum erga se benevolentiam ac promptitudinem.

Cap. XXVI.

TIMOLEON.

TImoleon in Sicilia copias eduxit ad pugnam ineundam cum Carthaginensibus, qui in insulam traje-

trajecerant; his obviam factus est mulus, portans apium. Milites omen perhorruerunt, quòd apud ipsos defunctorum (p. 68) monumenta coronabantur apio. Timoleon, *Atqui manifestiorem*, inquit, *Dii nobis victoriam significant; nam eos, qui Isthmia vicerunt, Corinthii sertis ex apio factis coronant.* His dictis, tum ipse se apio redimivit, tum etiam duces suos coronavit; ita ut milites, alius ab alio sumentes apium, audaciores ad pugnam evaderent.

CAP. XXVII.

ZOPYRUS.

DArius Babylonem oppugnans longo tempore, civitatem capere non potuit. Zopyrus, Darii satrapa, mutilatâ facie, transfugæ specie, *ad hostes* venit, quasi hæc à Dario passus sit. Babylonii, aspectu *tantæ* calamitatis, fidem adhibent, Zopyroque *administrandam* civitatem permittunt; qui per noctem portas aperuit. Darius verò, Babylone potitus, hoc sane splendidissimum elocutus est; *At ne viginti quidem Babylonas tenere vellem eâ lege, ut viderem hæc passum Zopyrum.*

CAP. XXVIII.

ALEXANDER.

ALexander (p. 69.) apud Indos erat, Hydaspem fluvium trajecturus exercitum. Contra quem Porus Indorum rex ad ulteriorem ripam fluminis aciem constitutam habebat; et nulla transeundi copia fuit. Alexander ad superiora fluminis contra aciem educebat: atque etiam Porus ad superiora iterum. Alexander ad inferiora: et eodem modo faciebat Porus. Hoc etiam sæpe, ac multos dies factum est; ita ut Indi timiditatem hostium risui haberent, atque una discurrere hinc inde desisterent; quasi ii flumen transeundi nunquam fiduciam habituri essent, qui toties ausi non fuissent. Alexander verò cursu celerrimo propter ripam contendens, conscensis navibus ac ratibus, utribusque impletis gramine, flu-

vium transiit, deceptis Indis inexpectatâ fluminis trajectione.

CAP. XXIX.

ALexander cepit Thebas, satis magnâ copiarum occultatâ parte, cui ducem Antipatrum præfecerat; apertam verò ipse duxit ad loca munitiora. Thebani contrà exibant, et adversus (p. 70.) exercitum, qui in conspectu erat, haud segniter pugnabant. Antipater ipso prælii tempore partem abstrusam *ex insidiis* educens, et circumacto exercitu, mœnia quâ maxime erant infirma, atque incustodita, civitatem ibi occupavit, signumque sustulit. Alexander conspicatus clamavit, *jam se Thebas tenere.* Thebani fortiter pugnam facientes, cum aspicerent conversi urbem captam, in fugam se conjecerunt.

CAP. XXX.

ALexander cùm ab aruspicibus cognovisse tfausta esse sacra; cirucumferre hostias jussit, et militibus *ob oculos* monstrare: ut non solùm ex auditione, sed etiam ex aspectu spem bonam de periculo haberent.

CAP. XXXI.

ALexander ad Arbela Darium debellavrat: Phrasaortes, Darii cognatus, magnâ Persarum manu collectâ, Susidas portas defendebat. Hæ verò, montes sunt angusti et excelsi: quas ubi Macedones oppugnarent, eos facillime Barbari, fundas, tela, lapidesque jaculati, repulerunt; ita ut, militibus revocatis, Alexander ad stadia triginta vallo castra muniret. Erat (p. 71.) autem Apollinis oraculum, *Peregrinum Lupum itineris ei contra Persas ducem futurum.* Accedit bubulcus ad Alexandrum, veste ferarum pellibus confecta amictus; atque seipsum Lycium esse professus, et in circuitu montium semitam esse, quæ continuò sylvarum tegmine occultaretur; sibi soli, eo quòd bobus pascendis occuparetur, notam. Recordatus vaticinii Alexander, bubulco fidem habet. Omnem itaque exercitum se castris jubet continere, et ferquentes ignes accendere, qui ad se Persarum o-

culos converterent. Poſtquam verò Philotæ et Hephæſtioni mandatum dediſſet arcanum, ut, quum de ſummo montium vertice Macedones apparere conſpicerent, ipſi inferius hoſtes oppugnarent; ipſe cum ſatellitibus, et uno armatorum agmine, Scythisque, quot erant, ſagittariis, per tenuem ſemitam octoginta ſtadia progreſſus ſtationem habuit, ſylva denſiſſima undique contectus. Media autem nocte circuitione uſus, ſomno gravatis hoſtibus ſupervenit. Ortâ verò die tubæ concinuerunt à vertice montium; igitur Hephæſtion et Philotas è caſtris Macedones adduxere. Perſæ in medio hoſtium ſuperiorum inferiorumque comprehenſi, partim trucidabantur, partim à præcipitiis devolvebantur, partim vivi ab hoſtibus capiebantur.

Cap. XXXII.

Alexander per ſiticuloſam viam iter faciens, ſiti laborabat, itemque Macedones. Speculatores regionis cùm in cavo ſaxo pauxillum aquæ (p. 72.) reperiſſent, eam galeæ injectam Alexandro attulerunt. Ille oſtendens exercitui, debere eos fortem animum præſtare, apparente aquâ, nequaquam ipſe bibit, ſed in omnium conſpectn galeam effudit. Macedones, clamore auditô, juſſerunt ut ipſe viam præcederet, fortiter ſiti reſiſtentes, ob regis continentiam.

Cap. XXXIII.

Alexander æſtivo tempore exercitum præter fluvium, incumbentibus hoſtibus, duxit. Conſpicatus autem milites ſitire, ac in flumen oculos intendere, ne bibentes ordinem diſſolverent, aut profectionis celeritatem præſcinderent; præconem juſſit edicere: *Abſtineamus nos ab hòc flumine: Aquam habet mortiferam.* Illi metu commoti abſtinebant, iterque accelerabant. Alexander, perfecto itinere, et caſtris poſitis, ipſe cum ducibus apertè de fluvio bibit. Ridentes milites, et cauſam doli animadvertentes, ſine metu omnes è fluvio aquam hauſerunt.

Cap. XXXIV.

CAMBYSES.

CAmbyses, (p. 73.) Pelusium oppugnabat. Ægyptii fortiter resistentes, aditus Ægypti clauserunt, multisque adductis machinis, catapultas acutis telis, saxa atque ignem, emiserunt. Cambyses, quotquot animalia Ægyptii colunt, canes, oves, feles, ibides ante suum exercitum collocavit: Ægyptii itaque jaculari destiterunt, metuentes, ne sacrum aliquod animal ferirent. Ad hunc modum Cambyses, Pelusio captô, intra Ægyptum pervenit.

Cap. XXXV.

XERXES.

XErxes in Thermopylis, propter angustias montium multis Persis amissis, Trachinio quodam nomine Ephialte semitam circa montes angustam monstrante, misit viginti millia hominum; qui circumeuntes, et à tergo Græcorum *adorti*, omnes interfecerunt, quos Leonidas ducebat.

Cap. XXXVI.

MITHRIDATES.

MIthridati [p. 74.] Rex jussit Datamen, qui defecerat occidere, *aut vivum duc.* Mithridates simulat se quoque defecisse à rege. Neque enim Datames fidem habuisset, nisi prius multa in regis ditione devastaret. Magnam itaque vastitatem intulit; castella regis solo æquavit, vicos incendit, tributa per vim rapuit, prædas abegit; ita demum se regi ostendebat infestum esse. Tum denique ambo simul inermes convenerunt, de iis quæ oporteret, deliberaturi. Mithridates in eo loco multos gladios noctu præparaverat, alium alibi abditum; et his signum impositum est. Colloquendo igitur eum adduxit *ad locum,* leni incessu inambulans. Cùm satis esset inter eos differtum, Datames dictâ salute abibat; Mithridates uno ex ensibus celeriter arrepto, eoque sub manu sinistrâ occultato, revocavit Datamen, quasi oblitus aliquid, quod

quod dicere necesse esset. Advenienti autem jussit *montem illum* præcipue munire; sic Datamen in mortem oculos retorquentem, Mithridates pugione percussum interfecit.

Cap. XXXVII.
SURENAS.

SUrenas [p. 75.] Parthorum dux, Crasso post magnam cladem recedente, et per loca editiora iter facere aggresso, metuens pugnam quæ ex desperatione fieret, legatum ad eum misit, qui diceret; *Componit tecum amicitiam Rex magnus; qui, cum fortitudinem suam Romanis ostenderit, nunc humanitatem etiam vult ostendere.* Crassus, dolum suspiciens, minimè obtemperabat. Milites, quorum animi essent fracti et defessi, coegerunt eum, complosis armis, Barbaro credere. Crassus invitus pedibus iter faciebat; Surenas magnâ scilicet usus humanitate, equum aureo fræno *insignem* ei adduxit, in quo eum collocari jussit; ille itaque equum conscendit. Barbarus verò equorum curator, admotis stimulis equi cursum incitavit, ut Crassum in mediam Parthorum multitudinem deferret. Octavius, unus ex Crassi legatis, intellectâ fallaciâ, frænum apprehendit, et post eum unus tribunòrum Petronius; ita ut Octavius, extracto gladio, equisonem interficeret, Octavium alius quidam Parthorum; Crassum verò Exæthres Parthus; cujus caput et dextram abscissa ad regem magnum Parthorum [p. 76.] Herodem deportavit. Accidit verò per id tempus, ut Rex convivio quosdam exciperet, interque epulas Jasonem Trallianum tragœdum, Bacchas Euripidis agentem, audiret. Tragœdus autem canebat illos versus,

Afferimus ex montibus juvencum
Rece-nsinterfectum, ad ædes;
Nobilem prædam.

Illi verò Crassi caput portantes, regi attulerunt. Quam ob rem ingens clamor, multusque plausus oriebatur:

ebatur; ita ut Exæthres profiliens diceret, *Mihi potius vos versus canere convenit, quàm tragœdo.* Rex lætatus, eum quibus usu patrio receptum fuerit, muneribus honoravit.

CAP. XXXVIII.

NUMA.

NUma, ut Romanos à bellis et cæde ad pacem atque leges traduceret, ab urbe secessit in lucum [p. 77.] Nymphis sacratum. In eo solus per multos dies moratus, revertebatur, oracula ab Nymphis apportans; quæ suasit ut pro legibus haberentur. His Romani se obedientes præbuerunt. Quæcumque igitur in hunc usque diem cæremoniarum ritus, sacrificia sunt, hæc omnia Numa quasi leges Nympharum constituit.

Mihi quidem Minoem et Lycurgum æmulatus esse videtur. Nam ex iis leges alter ab Jove, alter ab Apolline, discentes, aut saltem se didicisse profitentes, alter Cretensibus, alter Laconibus, ut his uterentur, persuasit.

CAP. XXXIX.

TARQUINIUS.

TArquinius, cùm Gabios longo tempore obsessos capere non potuit, filium minimum natu sextum plagis affectum, transfugæ specie misit. Qui corpus acerbissimis verberibus laceratum videntes, eum receperunt, multa magnaque adversus patrem pollicentem: quorum pleraque omnium executus, fidem meruit. Prædas ex Romanorum agris agebat, eos in fugam convertebat, captivos cepit, multa vicit prælia; ita ut Gabiorum civitas admirata, imperatorem summa cum potestate eum constitueret. Ille autem, clam misso nuncio, [p. 78.] patrem rogavit, quid facere juberet. At Tarquinius (nam forte in horto colloquebatur) altissima decutiens papavera, nuncio retulit; *Dic filio meo idem facere*; id quod ille renunciavit.

avit. Sextus verò eminentissimum quemque Gabiorum interimens, atque ita vastitatem imbecillitatemque Gabiis inducens, urbem eorum Romanis tradidit.

CAP. XL.

MUTIUS.

TYrrheni cum Romanis bellum gerebant. Tyrrhenorum rex erat Porsenna; Romanorum imperator Publicola, tertiùm consul. Mutius vir Romanus in re militari præstantissimus, interficiendi Porsennæ causâ in Tyrrhenorum castra venit, habitu Tyrrheno, voce etiam Tyrrhenâ usus. Qui accedens ad tribunal, cùm regem Porsennam non nosset, quinam esset, ex assidentibus quem maximè regi similem esse arbitrabatur, eum stricto gladio interfecit. Comprehensus fatebatur quinam esset. Porsenna jam utique ob salutem Diis sacrificabat: Mutius autem in focum igne plenum [p. 79] dextram manum injectam tenebat: et dum manus combureretur, stans cum Porsenna colloquebatur, hilari et intrepido vultu. Cùm Porsenna supra modum hominis virtutem admiraretur, Mutius, *Nequaquam*, inquit, *mireris. Trecenti Romani eadem animi fortitudine, quâ ego, præditi, in castris oberrant, tempus captantes te interficiendi.* Porsenna credens his verbis, metuque perterritus, bellum adversus Romanos diremit.

CAP. XLI.

MARCELLUS.

MArcellus, Syracusas oppugnans, cùm ab Archimedis machinis impediretur, mœnia non amplius aggredi audebat, sed tempori oppugnationem commisit. Tandem multò pòst Damippum Spartiatam, Syracusis enavigantem cepit; ab eoque didicit, turrim esse in muro negligenter custoditam, quæ multos

tos posset homines capere, [p. 80.] murumque ea in parte facilem esse ascensu.

Postquam igitur Marcellus altitudini convenientes scalas comparasset, Syracusanis festum Dianæ agentibus, vinumque et ludicra sibi largiùs indulgentibus, turrim occupavit, armis undique muros implevit, et ante solis ortum Hexapylis effractis, urbe potitus est. Milites, qui fortiter pugnassent, civitatis direptionem sibi postulabant: haud tamen concessit Marcellus; nisi ut à mancipiis solum modo et pecunia sibi utilitatem caperent; à quo ut sacerdotibus liberisque temperarent hominibus, edictum fuerat.

CAP. XLII.

SCipio, cùm Syphacem Masæsulorum regem sibi socium adscivisset, in Siciliam trajecit. Asdrubal admirabili pulchritudine filiam habens, se hanc collocaturum Syphaci promisit, si à Romanis defecerit. Ille, ductâ virgine, se Carthaginiensibus conjunxit, et confestim missis ad Scipionem literis, [p. 81.] vetuit in Libyam venire. Scipio, cùm probè norit Romanos elatiores se gèrere propter Syphacis amicitiam, et si audivissent ad hostes eum desciviste, non ausuros in Libyam transire: concione convocatâ, in contrariam sententiam literas Syphacis convertit; tanquam ille in Libyam Romanos accerseret, et admiraretur eos tam diu moram trahere; atque adeo ipsos oportere ejus vigorem in armis sociandis non debilitare. Hæc locutus, cupiditatem fiduciamque Romanis injecit, qui diem statim postularunt, quo copias traiicere oporteret.

CAP. XLIII.

SCipio, tribus Carthaginiensium speculatoribus comprehensis, lege Romanorum jubente hostium exploratores interfici, id quidem non fecit, sed eos jussit universum obire exercitum. Qui cùm viderent Romanos,

Romanos, alios tela mittere, alios jaculari, alios saltu certare, alios arma apparare, alios enses acuere, rursus ad Scipionem adducti sunt. Ille autem, dato iis prandio; *Renunciate*, inquit, *quæ vidistis ei qui vos miserit*. Qui reversi, Hannibali cæterisque Carthaginiensibus hæc renunciantes, terrorem eis injecerunt et Romanorum apparatu, et Scipionis magnanimitate.

Cap. XLIV.

CÆSAR.

CÆsar [p. 82.] ad Nicomeden navigans, juxta Maleam à latronibus Cilicibus captus est. Qui cùm ingens liberationis pretium postularent, ille id duplex promsit. Miletum usque cursum tenuerunt, extraque mœnia appulerunt Cæsar Epicratem Milesium servum mittit ad Milesios, rogans ut sibi pecuniam fœnori darent: Qui eam confestim miserunt. Epicrates mandatum habuit à Cæsare, ut cum pecunia magnum convivii apparatum portaret, et solium plenum ensibus, vinumque mandragora mixtum. Cæsar, ubi duplicatum liberationis pretium latronibus numerasset, eis convivium apposuit. Illi exultantes pecuniarum multitudine, largiter genio indulgebant, et vinum infectum bibentes, sopore obruti discubuerunt. Cæsar dormientes interfici jussit, statimque pecuniam Milesiis reddidit.

Cap. XLV.

CÆsar [p. 83.] in Britannia fluvium magnum trajicere conabatur. Rex Britannorum Cassivellaunus cum multis equitibus ac essedis eum *transitu* arcebat. Cæsarem maximus elephas sequebatur, animal Britannis nunquam antea conspectum. Eum ferreis squamis muniit, et altissimum turrim levatam imposuit, in qua sagittarios et funditores constitutos jussit flumen ingredi. Britanni perterrebantur, nun-

quam antea visum, et grande supra modum animal conspicati. Nam de equis quid attinet referre? cùm etiam apud Græcos equi, viso nudo elephante, fugiant. Turrigerum autem et armatum, tela, saxaque missilia conjicientem aspicere ne quidem sustinuerunt. Itaque Britanni cum equis et curribus in fugam se conjecerunt. Romani verò sine periculo flumen transmiserunt, per unam bestiam metu hostibus injecto.

CAP. XLVI.

CÆsar cum Pompeio circà Pharsalum prælium committebat. Qui cùm videret multos hostium juvenes et formosos se ob pulchritudinem efferre ac superbire, præcepit suis militibus, ne corporibus hostium hastas et pila, sed in ipsas facies intenderent. Illi [p. 84.] veriti, ne vultus venustas mutilaretur, in fugam se conjecerunt.

CAP. XLVII.

SEMIRAMIS.

SEmiramis inter lavandum Siracum defectionem audivit, et repente sine calceis, necdum compositis crinibus, ad bellum exivit. Columnæ autem ejus hæc inscripta sunt:

Me Natura quidem mulierem finxit: at ego rebus gestis nullo fortissimorum virorum inferior extiti. Ego Nini regina ad orientem, imperii fines terminavi fluvio Hinamame; ad meridiem, ea terra quæ thus ac myrrham profert: ab hyeme, Saccis et Sogdis. Mare antea nemo Assyriorum vidit: ego verò quatuor, quibus propter longinquitatem appropinquare non datur. [p. 85.] *Quæ etenim ea statio inclusa habet? Fluvios coegi fluere, quocunque vellem: volui autem, quo conduceret. Terram sterilem docui cultu. tam admittere: Fluviis enim meis eam temperavi: Munitiones invictas exhibui: Invias petras ferro edomui:* Vias *meis curribus* patentes munivi, *quas ne feræ quidem prius*

prius pertransirent. Et è rebus gerendis Jagis mihi superfuit temporis, quod mihi et amicis impertivi.

CAP. XLVIII.

CLOELIA.

ROmani cum Tyrrhenis bellum gerentes, facto fœdere obsides ei dederunt, nobilissimorum virorum filias virgines. Quæ, dum obsides agerent, accesserunt ad fluvium Tybrim loturæ. Ex his una Clœlia reliquas omnes [p. 86.] hortabatur, ut tunicas circum capita religarent, et fluvii cursum ob profundos gurgites difficilem transitu, tranarent. Cùm tranassent, Romani virtutem quidem earum et fortitudinem admirabantur, sed tamen eas Tyrrhenis remiserunt, ut fidem fœderum inviolatam conservarent. Porsenna, rex Etruscorum, ex virginibus sciscitabatur, quænam earum esset, quæ hoc ut facerent persuasisset. Clœlia reliquas *sermone* prævertens, confitebatur. Porsenna virilem admodum virginis animum admiratus, equum ei splendidè ornatum dono dedit, omnesque virgines collaudatas Romanis remisit.

CAP. XLIX.

PORCIA.

POrcia, Catonis filia, uxor Bruti, maritum suum Brutum suspicata insidias Cæsari struere, tonsoris gladiolo (*novacula*) femur suum abscidit, ostendens corporis tolerantiam et patientiam animi. Tum demum Brutus arcanum ei credidit. Illa vero tuniculas suas ipsius viro attulit, et intra tunicas ensem. Accedens Brutus cum sociis conjurationis adortus Cæsarem occidit. Ubi vero cum Cassio adversus Augustum in Macedonia prælium commisisset, et acceptâ clade mortem sibi ipse conscivisset; Porcia primùm quidem inediâ vitam finire conabatur: verùm domesticis et cognatis non sinentibus, ignes quasi unctura sese, jussit adferri; prunasque multas manibus arreptas, in os injecit, et antè devoravit, quàm quisquam ex

præsentibus succurrere posset. Hoc modo obiit Porcia Heroina, et ad mortem fortis, virique in primis amans.

CAP. L.

ARGOLIDES.

PYrrhus Epirota in Argos Expeditionem faciebat, vocante eum Aristeo Argivo. Argivi sumptis armis in forum concurrerunt: Mulieres verò eorum, tectis præoccupatis, Epirotas desuper jacientes, pedem retro ferre coegerunt, ita ut etiam Pyrrhus ducum omnium fortissimus, [p. 88.] incidente in caput tegula, occumberet. Argolides verò insignem gloriam inter Græcos adeptæ sunt, quod Pyrrhus vir bellicosissimus non à viris, sed à fœminis Argivis *confectus* ceciderit.

Ex ARISTOTELE.

CAP. I.

STESICHORUS.

STESICHORUS, [p. 89.] cùm Himerenses Phalarin imperatorem summa cum potestate elegissent, e corporis custodiam tradituri essent, postquam alia disseruisset, hanc etiam eis fabulam locutus est.

" Quòd *nimirum* equus tenuit pratum solus; cùm autem eò deveniret cervus, et pascuum corrumperet; cervum ulcisci cupiens, interrogavit hominem, an posset ejus operâ mulctare cervum. Ille verò affirmavit,

mavit, si modò acciperet frænum, ut ipse jaculis armatus in eum conscenderet. Cùm autem conditionem accepisset, et *ille eum* conscendisset, pro vindicta, ipse servus homini factus est.

" Eodem etiam modo vos videte, inquit, ne cum hostes ulcisci velitis, eadem patiamini, quæ equus. Frænum [p. 90.] enim jam habetis, quod elegeritis ducem cum imperio summo; si verò etiam custodiam tradideritis, et conscendere permiseritis, servietis confestim Phalaridi.

Cap. II.

ÆSOPUS.

ÆSopus in Samo, cùm defensionem faceret *Ductori populi*, de capite causam agenti, dixit:

" Vulpem, cùm trajiceret flumen, decidisse in voraginem; *unde* cùm minimè posset exire, diu malè affectam esse, et caninas muscas multas ipsi adhæsisse: Erinaceum verò fortè illuc vagantem, ut vidit ipsam, misericordiâc aptum, interrogâsse, num abigeret ab ipsa caninas muscas: Eam verò non permisisse. Quærente *illo*, Qua de causa? dixisse; Quoniam istæ quidem plenæ mei jam sunt, et parum sanguinis exhauriunt; si verò has abegeris, aliæ supervenientes famelicæ ebibent mihi reliquum sanguinis.

" Necnon etiam vobis, inquit, O viri Samii, Iste non amplius jam nocet: est enim dives *jam factus*. Si verò hunc interfeceritis, alii accedent egeni, qui vobis dilapidabunt æraria publica depeculantes."

E
DIONYSIO HALICARNASSEO.

CAP. III.
MENENIUS AGRIPPA.

VIDETUR [p. 91.] Civitas Humano Corpori similis: Utrumque enim compositum est, et multis constat partibus; quarum singulæ nec eandem vim habent, nec usus pares exhibent. Jam si per se quæque humani corporis pars proprium sensum, itemque vocem accipiat; deinde seditione inter eas ortâ, reliquæ omnes contra unum Ventrem conspirent, dicantque Pedes, totum sibi Corpus incumbere: tum Manus, opificia se exercere, victum comparare, cum hostibus pugnare, aliasque multas utilitates in commune conferre: Item Humeri, omnia à se portari onera; [p. 92.] Os, se loqui; Caput verò, se videre et audire, reliquosque sensus omnes acceptos continere, per quos integrum *Corpus* conservetur; deinde Ventri dicant:

Tu verò, bone *Venter*, quid horum facis? aut quam nobis refers gratiam, quódve emolumentum? Imo tantùm abest, ut aliquid agas et nobiscum expedias in communes usus, ut etiam officias et interturbes, et gravi servitute cogens tibi nos ministrare, et undecunque conquirere, quæ tuas cupiditates expleant. Age asseramus nos in libertatem, et excutiamus tot occupationes, quas sustinemus hujus gratiâ. Si sic visum eis sit, et nulla posthac faciat suum officium, fierine ullo modo poterit, ut Corpus diu duret, ac non intra paucos dies fame consumatur, genere mortis pessimo? Nemo id potest negare.

Eodem sane modo et de Civitate cogitate: Nam

ea

et hanc conficiunt multa hominum genera inter ſe diſſimilia; quorum quodque proprium aliquem uſum in commune confert, ſicut membra ſuo corpori. Quidam agros colunt; alii pro his contra hoſtes pugnant; alii mercaturam exercentes, per mare important multa commoda; ſunt qui neceſſaria tractant opificia. Quòd ſi hæc omnia civium genera contra ſenatum ex optimatibus conſtantem inſurgentes dicerent:

Tu vero, quid nobis, O Senatus, boni facis? quâ [p. 93.] tandem ratione aliis imperare poſtulas? non enim ullam cauſam potes afferre. Nunquamne nos vindicabimus ab hac tua tyrannide, ac ſine principe degemus? Hæc, *inquam*, ſi in animum inducerent, et à conſuetis ſtudiis deſiſterent, quid vetabit hanc civitatem malam malè perire fame, bello, aliisque omnibus calamitatibus?

Diſcite igitur, Quirites, ſicut in noſtris corporibus venter iſte vulgo male audiens, alit corpus dum alitur, et ſervat dum ſervatur, eſtque velut commune penuarium, ſuum cuique tribuens commodum, conſervansque pacem omnium: ita in civitatibus diſpenſantem publica Senatum, et quid cuique conveniat providentem, omnia ſervare, tueri, corrigere: et deſinite invidioſas in eum voces jactare, expulſos vos patriâ per eum, ut errones, et mendicos vagari. Nihil enim mali vobis fecit, nec faciet: immo vocat ipſe et orat, pandenſque unà cum portis ulnas vos exceptat.

E
MAXIMO TYRIO.

CAP. IV.

DIFFICILE [p. 94.] eſt invenire vitam ab omni parte perfectam, ſicut ut hominem: nam cuique

cuique immiscetur indigentia aliqua ad summam perfectionem: atque alter altero superior est, cui res desint pauciores. Sic urbanos felices prædicantem agricolam videas, quòd vitam elegantem transigant, et jucundam. Eos etiam, qui in concionibus et judiciis versantur, magnaque in iis autoritate pollent, sortem deplorare suam, in parvulo agello cum ligone vitam agere optantes. Militem audies togati civis felicitatem prædicare: illum è contrà qui in pace degit, hominem militarem demirari. Quòd si Deus aliquis singulis vitam, quam jam agunt, habitumque (ut in scena ab histrionibus fieri solet) exuat, et quemque vicini sortem induat; nihilominus ipsi illi priora optabunt iterum, [p. 95] præsentia deplorabunt. Usque adeo difficile est perquam homo, querulum, et morosum, nunquam suâ ipsius sorte contentum.

Cap. V.

Unde nobis malorum origo.

Quinam *malorum* fontes, quæ origo prima? unde ortum ducentia *nobis* ingruunt? An ex Æthiopia, cum peste; aut Babylone cum Xerxe; aut ex Macedonia cum Philippo? Non enim è cœlo, per Jovem: non è cœlo: *Nam invidia extra Chorum Divinum stat.* Hìc certè, hìc mihi Oraculo est opus: Consulamus Deos: "Jupiter, et Apollo, et si quis præ-
"terea est Deus fatidicus, qui humani generis curam
"gerit, supplicantibus dicite, Quod malorum initium? quæ causa? Quo pacto vitare ea, aut effugere possimus?"

Non enim est indignè ferendum, fugere malum, atque evitare.

Nondum videtis, quàm gravia sorti humanæ immista, circa terram versentur, quæ variis luctibus, suspiriisque terram impleant? Gemunt humana corpora; et morbos innatos deplorant, et lubricam salutis conditionem, et vitæ incertitudinem. Ecquod est ætatis tempus, quo non sit corpus *his* obnoxium?

E PLATONE.

E PLATONE.

CAP. VI.

PHÆDON; sive de Anima.

VEruntamen [p. 96.] hoc, O viri, inquit, æquum est, cogitare, si anima sit immortalis, eam utrique curâ indigere, non solum temporis hujus in quo nos vivere dicimus, verum etiam universi gratiâ. Nam et periculum grave admodum fore videatur, si quis eam neglexerit. Si enim mors totius esset dissolutio, lucri aliquid improbis eveniret in morte, cùm et corpore simul, et suâ ipsorum pravitate, unà cum animo liberarentur. Nunc autem cùm animus immortalis esse appareat, nulla ei alia superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima et prudentissima fiat. Nihil enim aliud, cùm ad Manes migrat animus, secum asportat, præter institutionem et alendi curam: quæ quidem in ipso migrationis initio, plurimum vel prodesse vel obesse defuncto perhibentur.

CAP. VII.

CUM [p. 97.] verò hæc ita sint disposita, postquam in eum locum defuncti pervenerint, quò Genius unumquemque deducit, primò subeunt judicium, quique honeste sancteque et juste vixerint, et qui non ita. Quicunque adeo mediâ quâdam ratione vixisse videantur, profecti ad Acheronta, curribus quales apud ipsos sunt, conscensis, ad paludem Acherusiam vecti feruntur; atque ibi habitant, purganturque,

que, pœnas injuriarum dantes, et purificati absolvantur, si cui quis injuriam intulerit; necnon et benefactorum præmia pro meritis singuli reportant. Qui vero propter scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, utpote qui sacrilegia multa et magna, vel cædes injustas crebro et nefarias perpetraverint, et si qua sint alia hujusmodi; hos omnes sors assignata in Tartarum projicit, unde nunquam emergunt.

Qui autem sanabilia quidem peccata, sed ingentia commiserint, veluti si qui contra patrem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed reliquum ætatis pænitudine egerint; vel qui simili quodam modo fuerint homicidæ; eos in [p. 98.] Tartarum submergi necesse est: sed ibi demersi, annumque commorati, à fluctu ejiciuntur; homicidæ quidem per Cocytum, sed patris matrisve pulsatores per Pyriphlegethontem. Postquam vero delati ad paludem Acherusiam pervenerint, voce magnâ ibi clamant, et vocant nomine quos vel trucidaverunt vel injuriis affecerunt; interque appellandum suppliciter rogant atque obtestantur, ut se permittant in paludem ingredi, velintque recipere, Quod si persuaserint, emergunt se, finemque malorum inveniunt; sin minus, referuntur in Tartarum, atque inde rursus in flumina. Nec prius hæc pati mala desistunt, quam quos injuriâ affecerint, persuadendo possint flectere. Hæc enim pœna illis constituta est à Judicibus.

Qui autem egregiè præ cæteris pietatem coluisse reperiuntur, hi sunt, qui ex his sub terra locis, tanquam è carcere, soluti ac liberati, sursum ad pura ascendunt domicilia, et supra terram habitant. Sed ex his ipsis, qui philosophiâ satis fuerint purgati, absque corporibus omne deinceps tempus prorsus degunt, et ad sedes his etiam pulchriores deferuntur: quas neque facile est explicare, neque in præsenti temporis satis est.

Sed harum de quibus disseruimus gratiâ, summâ ope, O Simmia, niti decet, ut virtutem in hac vita et sapientiam consequamur. Premium enim pulchrum est, et spes ampla.

Cap. XIII.

Animam esse aliquid Divinum, Immortale, Intelligibile, Uniforme, ac Indissolubile.

ANimadverte jam, O Cebes; ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo, et secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam: humano verò, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibimet se habenti, simillimum esse corpus. Possumusne, O amice Cebes, præter hæc aliud quicquam afferre, quo minus ita sit? Non possumus. Quid ergo? Cum hæc ita se habeant, nonne corpori convenit, ut brevi solvatur? Animæ verò ut omnino indissolubilis sit, vel aliquid rei omnino indissolubili propinquum? Quidni? Cernis igitur postquam mortuus homo fuerit, quod in eo visibile est corpus, et in loco visibili positum, quod cadaver appellamus, cui convenit, ut dissolvatur, concidat, diffluat, nihil horum subito pati, sed si quis corpore perbellè affecto decesserit, satis multo tempore, idque etiam in ea ipsâ venustate permanere. Corpus enim exarefactum et conditum quemadmodum in Ægypto faciunt, incredibile quoddam tempus ferme integrum manet. Quinetiam si putrescat, tamen nonnullæ corporis partes, ossa videlicet, nervique, atque similia, ut ita dicam, immortalia permanent. An non? Ita. Anima vero quæ invisibile quiddam est, in similem quendam aliumque locum migrans, excellentem, purum, invisibilem, nobis occultum, revera ad bonum sapientemque Deum, quò si Deus voluerit, paulo post meo quoque animo [p. 100.] est migrandum: anima inquam talis, talique naturâ prædita, nonne cum primum à corpore liberata fuerit, dissipabitur atque interibit, ut multi putant? Permultum abest, O dilecte Cebes atque Simmia: imo multo magis ita se res habet, siquidem pura discesserit corporeum nil secum trahens, upote quæ nihil cum illo in vita lubens

commu-

communicaverit, sed fugerit illud, seque in se collegerit, tanquam semper id meditata: quod quidem nihil est aliud quàm rectè philosophari, mortemque reverâ facilè meditari. An non hæc est meditatio mortis? Est omnino. Anima igitur sic affecta nonne ad sibi simile divinum abit? divinum, et immortale, et sapiens? quò cùm pervenerit, evadit felix, ab errore, ignorantia, timoribus, ferisque amoribus, cæterisque humanis liberata malis: et quemadmodum de initiatis dici solet, reverâ reliquum tempus vitam cum Diis agit?

CAP. XL.

Animam esse aliquid indissolubile.

DEUM vero et ipsam vitæ speciem, et siquid aliud est immortale, indissolubile quoque esse omnes confiterentur. Universi (per Jovem) homines, et multo magis ipsi, ut arbitror, Dii. Cum igitur quod immortale est, etiam incorruptibile sit, quidnam prohibet animam, si fuerit immortalis, incorruptibilem quoque fore? Necessario sequitur. Imminente igitur homini morte, quod mortale quidem in eo est, interit, ut apparet: quod vero immortale, incorruptum sospesque morti se subtrahit. Manifestum est. Igitur [p. 101.] maxime omnium, O Cebes, anima immortalis incorruptibilisque est, eruntque apud Manes animæ nostræ. Nihil equidem, O Socrates, adversus hæc habeo quo minus rationibus tuis assentiar. Verùm si quid aut hic Simmias, aut alius quisquam habet quod dicat, operæ pretium fuerit non siluisse. Nescio enim in quod aliud quis differat tempus, siquid de rebus ejusmodi, vel dicere, vel audire desideret. Atqui nec ego, inquit Simmias, habeo quicquam quo minus superioribus assentiar rationibus. Veruntamen rei ipsius, de quâ agitur, magnitudinem, et humanam imbecillitatem considerans, cogor intra me dictis nondum acquiescere. Quinimo et hæc benè

dicis,

dicis, O Simmia, et positiones primæ quamvis fide vobis dignæ videantur, diligentius tamen considerandæ; atque si de illis sufficienter, ut arbitror, differueritis, hanc sequimini rationem quantum fieri ab homine potest. Quòd si hoc ipsum fuerit manifestum, nihil ulterius perquiretis.

CAP. XLI.

Animam, cùm immortalis sit, curatione plurimùm indigere.

HOC autem, O viri, justum est cogitare, si anima sit immortalis, eam non solùm temporis hujus in quo vivere dicimur, verùm etiam, universi gratiâ, curatione plurimum indigere. Nam grave periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam: si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum et à corpore, et ab eorum pravitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima [102] immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima et prudentissima fiat. Nihil enim aliud, cùm migrat ad Manes anima, secum transfert, præter eruditionem atque educationem.

CAP. XLII.

Quomodo Animus moderatus ac prudens Deum ducem in Regno cælesti sponte sequitur.

ANIMUS ergo moderatus et prudens Ducem sponte sequitur, neque ignorat præsentia. Sed qui cupiditate corporis est infectus, per multum tempus ad ipsum ardenter afficitur: et circa locum visibilem multis reluctatus modis multaque perpessus, vi et vix tandem ab eo adducitur dæmone, cui ejus cura erat injuncta. Cùm verò ad ea loca ubi alii quoque animi sunt, pervenerit, quisquis admodum immundus est,

et hujusmodi obnoxius crimini, qui vel injustis se contaminaverit cædibus, vel alia his similia, similiumque animorum opera perpetraverit, hunc quidem animum omnes fugiunt atque declinant, nec reperitur ullus, qui vel socius, vel dux ejus fieri velit. Itaque omni auxilio destitutus, eo usque pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur. Quibus tandem impletis, in habitationem sibi convenientem ab ipsa necessitate transfertur. Qui verò puram moderatamque transegerit vitam, Deos socios ducesque nactus ibi habitat, ubi unicuique convenit.

CAP. XXI.

De Animarum purarum ac impurarum Cupiditatibus in Statu Futuro.

SIN autem polluta impuraque à corpore decedat, utpote quæ corpus semper amplexa ipsum duntaxat coluerit, et amaverit, ejusque voluptatibus et cupiditatibus quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit, et usque adeo capta, ut nihil aliud putet esse verum, nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod videri possit, quodve bibat, et quod edat, et quo in venereis utatur: quod verò oculis quidem obscurum et invisibile sit, verumtamen intelligibile, et philosophiâ comprehendendum habere odio consueverit, formidareque et fugere: hanc, inquam, institutam animam putasne ipsam per se synceram evadere? Nullo modo, inquit. Sed infectam involutamque, ut arbitror, contagione corporeâ, quam consuetudo congressusque cum corpore propter continuam familiaritatem, plurimumque ejus cultum effecit quasi congenitam. Ita putamus. Ponderosum verò, O amice, id putandum est, et grave terrenumque, et visibile, quod anima ejusmodi secum trahit: ideoque ab eo gravatur, et rursus ad visibilem trahitur locum, metu invisibilis, atque occulti: et, quemadmodum fertur, circa monumenta

numenta sepulchraque versatur, circa quæ jam nonnulla apparuerunt animarum umbrosa phantasmata, qualia præferunt simulacra tales animæ, quæ videlicet non puræ decesserunt à corpore, sed visibile aliquid trahentes: quô fit ut videri possint. Consentaneum est, O Socrates. Consentaneum tamen, O Cebes, non esse has bonorum animas, sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbè actæ. Itaque tam diu circumvagantur, quoad cupiditate naturæ corporeæ comitatne, rursus induant corpus. Induunt autem, ut decens est, ejusmodi mores quales in vita exercuerunt. Quales dicis mores, O Socrates? Ejusmodi eos quidem qui ventris petulantiæ, gulæ dediti vitam egerunt, neque quicquam pensi pudorisque habuerunt, decens est asinorum formas et ejusmodi brutorum subire. An non putas? Consentanea loqueris. Qui verò injurias, tyrannides, rapinas, præ cæteris sequuti sunt, in luporum, accipitrum, milvorum genera pertransire. Num aliò has migrare dicendum est? Ita potissimum, inquit Cebes. Similiter, inquit ille, et in cæteris; abeunt enim in genera quælibet, quibus in vita mores similes contraxerunt. Manifestum inquit: quidni? Nonne horum felicissimi sunt, et in optimum proficiscuntur locum, quicunque popularem civilemque virtutem, quam Temperantiam et Justitiam nominant, exercuere absque philosophia quidem atque mente, sed ex consuetudine exercitationeque acquisitam? Quonam pacto hi felicissimi sunt? Quoniam decens est hos in tale quoddam genus iterum civile miteque demigrare, aut apum, aut vesparum, vel formicarum, aut etiam in idem rursus genus humanum, modestosque ex illis homines fieri. Ita decet. In Deorum verò genus nulli fas est pervenire, præter quàm iis, qui discendi cupiditate flagrantes, et philosophati sunt, et puri penitus decesserunt. Horum quidem gratiâ, O amice Simmia atque Cebes, qui rectè philosophantur, ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent, atque ita perseverant, nec se illis unquam tra-

dant, neque familiæ jacturam paupertatemque formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi, neque rursus contemptum atque ignominiam, quemadmodum qui magistratus ambiunt et honores, deinde ab his abstinent.

Ex HERODOTO.

Cap. IX.

CROESUS.

HOSPES [p. 105.] *Atheniensis, multus enim ad nos rumor de te emanavit ob tuam sapientiam, tuamque vagam peregrinationem, quam, utpote philosophari volens, multa videndi studio confecisti; ideo mihi nunc cupido incessit sciscitandi ex te, an quempiam vidisti omnium beatissimum.* Ille quidem sperans se inter homines beatissimum esse, ita sciscitabatur. Solon autem nihil admodum assentatus, sed ut res erat, respondens, *Ego vero, O rex, vidi Tellum Atheniensem.* Quod dictum admiratus Crœsus, vehementius interrogabat, *Qua de re Tellum judicas esse beatissimam? Quia,* inquit, *Tello huic, Republicâ florente, filii fuerunt honesti et boni; quorum singulis vidit liberos procreatos, eosque omnes superstites Et quum hoc vitæ, quantum in nobis situm est, bene traduxisset,* [p. 106.] *obitus splendidissimus ei obtigit. Siquidem prælio, quod Athenienses cum finitimis gessêre apud*

pud Eleusinem, quum auxilio venisset, hostemque in fugam vertisset, pulcherrimam oppetiit mortem. Quem Athenienses, quo loco occubuerat, eo ipso publicè humârunt, magnificéque honorârunt.

CAP. X.

ARION.

TYRANNUS erat Corinthi Periander: cui in vita maximum miraculum fuisse oblatum populares sui prædicant; et his Lesbii assentiuntur. Arionem Methymnæum, delphino insidentem, ad Tænaron fuisse evectum; qui erat Citharœdorum sui seculi nulli secundus: quique primus hominum, quos novimus, et fecit, et nominavit, et docuit Corinthi Dithyrambum.

Hunc Arionem ferunt, quum permultum temporis trivisset apud Periandrum, concupîsse in Italiam Siciliamque navigare: rursusque, partâ ingenti pecuniâ, voluisse Corinthum reverti; et, quum [p. 107.] profecturus Tarento esset, quia nullis magis quàm Corinthiis fideret, navigium virorum Corinthiorum conduxisse. Quum igitur altum tenerent, istos machinatos esse, ut, Arione deturbatô, pecuniâ potirentur. Hoc cùm intelligeret, oblatâ eis pecuniâ, mortem tantùm fuisse deprecatum. Non persuadenti nautas jussisse, ut aut sibi manus inferret, ut sepulturam in terra nancisceretur, aut illicò in mare desiliret. Arionem ad hanc consilii inopiam redactum, obsecrâsse, ut, quandoquidem ipsis ita placitum esset, paterentur se omni suo ornatu co opertum, stantemque super foros, cantare: et, quum decantâsset, pollicebatur se sibi manus illaturum. Istos igitur (invaserat enim eos libido audiendi præstantissimum inter homines modulatorem) è puppe in mediam navem concessisse. Illum, indutô sibi omni ornatu, ac, sumptâ citharâ, stantem super foros, percurrisse carmen quod dicitur *Orthium*: eôque decantatô, sese, ut erat ornatus, in mare

mare jecisse. Et hos quidem cursum tenuisse Corinthum: illum verò aiunt à delphino exceptum, Tænaron fuisse transvectum.

Qui cùm *à delphino* descendisset, Corinthum eôdem habitu perrexisse; et, ubi pervenit, quicquid contigerat, enarrâsse. Periandrum autem, quia non crederet, tenuisse hominem in custodia, [p. 108.] ne minimâ concessâ libertate; cæterùm curavisse sedulò, ut nautas haberet. Eos accitos, ubi adfuerunt, percontatum siquid de Arione memorarent? et, referentibus Illum sospitem circa Italiam agere, fortunatumque Tarenti se reliquisse, Arionem apparuisse eôdem, quô desiliisset, habitu: istos attonitos nihil amplius habuisse, quod convicti inficiarentur.

Hæc Corinthii et Lesbii aiunt: extatque apud Tænarum non ita magnum Arionis ex ære donarium, *Delphino insidens Homo.*

Cap. XI.

POLYCRATES.

HÆC quum legisset Polycrates, et in animum demisisset, tanquam benè sibi ab Amasi præcepta, disquirebat quodnam suorum ornamentorum esset, quô amissô, maximâ ipse molestiâ afficeretur? Atque hoc tandem quæritando invenit: Erat ei gemma signatoria, smaragdus, quam gestabat aurô inclusam, opus Theodori Samii, Telecle geniti. Hanc [p. 109.] ubi abjiciendam statuit, ita fecit: Quinquaginta remorum navem, hominibus instructam, conscendit: quô factô, eam in pelagus educere jubet. Et postquam ab insula procul aberat, detractum sibi sigillum, (iis, qui unà navigabant, spectantibus,) abjecit in pelagus: Hôc actô, renavigavit; domumque reversus, ingenti mœrore afficiebatur.

Quinto autem sextóve quàm hæc acta sunt die, hoc ei causa evenit: Piscator quidam captum à se piscem, grandem sanè ac pulchrum, putavit dignum, quô Polycratem

lycratem donaret. Ad fores quum attulisset, dixit se in conspectum Polycratis ire velle: quâ re ei à rege permissâ; donans Polycrati piscem, Rex, inquit, *hunc, ego quem cepi, piscem, etsi operis manuariis vitam tolero; tamen non judicavi ferendum à me in forum, sed Te, tuâque Potentiâ esse dignum: eum itaque Tibi allatum dono.* His verbis ille delectatus, ita respondit: *Tu verò probè admodum fecisti: et duplex adeo tibi, et ob orationem, et munus, habenda est gratia: ad cœnamque te vocatum volo.* Hæc magni faciens piscator, domum abiit. Piscem ministri rescindentes, offendunt in ejus alvo sigillum Polycratis. Quod ubi viderunt sumpseruntque, ad Polycratem lætabundi quàm celerrimè pertulerunt: eoque illi reddito, referebant quo pacto fuisset inventum. Hic verò, quum subiisset divinum quiddam id esse, retulit [p. 110.] in libellum quæ fecisset, et sibi quæ accidissent omnia. Hæc ubi scripsisset, in Ægyptum misit.

Quibus tabellis Amasis perlectis quæ à Polycrate venerant, didicit *fieri non posse, ut homo hominem, à re quæ eventura sit, eripirt; et Polycrati non felicem fore tandem rerum exitum, qui per omnia prosperam fortunam experiretur; adeo ut ea etiam reperiret quæ abjecisset.* Misso itaque Samum caduceatore, dixit se jus cum illo hospitii solvere. Quod ideo fecit, ne in tristem aliquem gravemque casum incidente Polycrate, animi dolorem, ut de hospite, ipse contraheret.

CAP. XII.

PSAMMMETICHUS.

ÆGyptii, priusquam apud eos regnaret Psammetichus, omnium hominum se primos extitisse arbitrabantur: Verùm, Psammeticho regnum adepto, quum incessisset, cupido noscendi, quinam primi hominum extitissent, ex eo tempore putaverunt Phrygas quàm se priores extitisse; se verò quàm cæteros. Etenim [p. 111.] Psammetichus, quum sciscitando quinam primi hominum extitissent, nullam rationem inire

inire posset, hujusmodi rem machinatur:

Pueros duos, ex humilibus parentibus recens natos, tradit pastori inter pecora nutriendos tali institutione: jubens neminem coram eis vocem ullam edere, sed in deserta casa ambos seorsim collocari, eisdemque certis temporibus capras adduci: ubi autem lacte expleti forent, alia administrari. Hæc ideo faciebat jubebatque Psammetichus, quod quæ vox prima ex his pueris erumperet, ubi inarticulatè vagire desiissent, audire cuperet: quod perinde contigit. Nam bimatus exacto tempore, pastori, qui hæc administrabat, aperienti januam, atque intranti, ambo infantes porrectis manibus occurrentes, *Beccos* clamabant Quod primò audiens pastor, obticuit: quum verò crebrius adeunti et observanti idem verbum frequentaretur, ita demum re domino indicatâ, jussus ab eo pueros in conspectum adduxit. Quos quum et ipse Psammetichus audisset, percontabatur, quinam homines *Beccos* quippiam appellarent? Hæc percontans comperit Phrygas sic panem appellare. Ex hac re conjecturam facientes, Phrygas se priores extitisse Ægyptii concesserunt.

Cap. XIII.

ÆGYPTII [p. 112.] primi extiterunt, qui dicerent, *Animam Hominis esse immortalèm*: quæ de mortuo corpore subinde in aliud atque aliud corpus, ut quodque gigneretur, immigraret. Atque ubi per omnia se cicumtulisset, terrestria, marina, volucria, rursus in aliquod hominis corpus genitum introire. Atque hunc ab ea circuitum fieri intra annorum tria millia. Hanc sententiam sunt è Græcis qui usurpaverint, tanquam suam ipsorum, alii prius, alii posterius; quorum ego nomina sciens, non duco scribenda.

Cap. XIV.

CAMBYSES.

CAMBYSES à Memphi urbem Sain profectus est, studio faciendi quæ fecit. Etenim simul atque in ædes Amasis ingressus est, imperavit illico cadaver Amasis è conditorio efferri. Hæc verò postquam facta sunt, cadaver verberibus cædi ac vellicari, et stimulis pungi, omnibus denique modis vexari jussit. Quod facientes postquam defatigati erant, [p. 113.] (nam cadaver utpote salitum resistebat, nec quicquam omnino elidebatur) jussit Cambyses cremari; haudquaquam sancta imperans.

Persæ etenim *Deum ignem* esse arbitrantur; et apud neutros moris est cremare cadavera: apud Persas quidem, propter id quod dictum est, quia nefas esse aiunt Deo depasci cadavere hominis: apud Ægyptios autem, quia persuasum habent, *ignem animatam belluam esse*, et omnia, quæ nanciscatur, devorare: ac, postquam devorando fuerit expleta, unà cum ipsa re devorata emori. Non esse verò apud eos consuetudinem mortuum belluis tradendi: ac propterea sale condiunt, ne humatus devoretur à vermibus. Ita neutris quæ lege essent sancita, jussit agi Cambyses.

Cap. XVI.

PISISTRATUS.

HUNC igitur in modum Pisistratus primùm obtinuit Athenas, et tyrannidem nondum valde stabilitam amisit: qui verò Pisistratum ejecerant, rursus inter se seditiones redintegrârunt. Hâc autem seditione Megacles fatigatus, Pisistratum misso caduceatore invitat, nunquid velit filium capere uxorem, addità tyrannidis conditione. Accipiente verò conditionem [p. 114.] machinati sunt ad illum restituendum, rem (ut ego comperio) longè stultissimam: quando-

quandoquidem jam olim dijudicatum eſt, Græcam gentem deteriorem eſſe quàm barbaram, et magis ab ineptiis abhorrentem: ſiquidem iſti tunc ex Athenienſibus, qui inter Græcos feruntur ſapientiâ principes, talia machinati ſunt: Erat in Tribu Pœanieâ mulier, nomine Phya, tribus digitis minus ſtaturâ quatuor cubitorum, alioqui formoſa. Hanc mulierem omni armaturâ quum inſtruxiſſent, in currumque ſuſtuliſſent, compoſitam in eum habitum quô auguſtiſſima videretur, in urbem proficiſcuntur; præmiſſis qui præcurrerent præconibus, quíque quum in urbem veniſſent, ſibi mandata exequerentur, his verbis: *Athenienſes, bonâ mente recipite Piſiſtratum, quem Minerva ipſa præcipuo inter homines honore proſecuta, in ſuam reducit arcem.* Iſti igitur paſſim euntes talia prædicaverunt; et ſtatim rumor in Tribus emanavit, Piſiſtratum à Minerva reduci. Atque adeo ipſa in urbe, perſuaſi hanc mulierem eſſe Deam ipſam, venerati ſunt Fœminam pariter, et Piſiſtratum acceperunt.

Cap. XVII.

BIAS.

POſteaquam Græcos in Aſia ſubegit ad tributum pendendum, exinde conſtituit *Crœſus* ædificatis navibus aggredi Inſulanos. Ad [p. 115.] quas compingendas quum omnia in expedito eſſent; dicunt alii Biantem Prienæum, alii Pittacum Mitylenæum, quum Sardis perveniſſet, interrogatum à Crœſo, nunquid apud Græciam novi eſſet? hæc dicendo, illum à compingenda classe inhibuiſſe: *Inſulani, O rex, infinitum equitatum coemunt, habentes in animo adverſus Sardis atque te expeditionem facere.* Et Crœſum vera loqui ratum dixiſſe; *Utinam dent Dii hanc Inſulanis mentem Lydos invadendi cum equis.* Atque hunc excipientem dixiſſe; *Videris mihi, O rex, cupidè vota facturus, ut Inſulanos in continente adipiſcaris equitantes; haud abſurdo voto. Verùm quid aliud Inſulanos optare cenſes, quàm, quoniam audiverunt conſtituiſſe te adverſus ſe claſſem ædificare,*

ut

ut nacti Lydos in mari deprehendant, teque super Græcis, quos tu in continente degentes in servitutem redegisti, ulciscantur? Hâc extremâ orationis parte delectatum admodum Crœsum, eique obtemperantem, (est enim visus ille perquam scitè dixisse) ab ædificanda classe destitisse: atque ita cum Ionibus, qui insulas incolerent, hospitium contraxisse.

CAP. XIX.
SETHON.

POST hunc, regnâsse *ferunt* sacerdotem Vulcani, cui Sethon nomen fuit; eumque [p. 116.] contemptui habere aspernatum Ægyptios bellatores, ut quibus ipse ne minimum indigeret: verùm eos et ignominiâ affecisse, et jugeribus terræ *concessis* exuisse, quibus fuerant à superioribus regibus secreta, unicuique duodecim, jugera donata. Tempore autem interjecto, quum Senacharibus Arabum Assyriorumque rex cum magnis copiis Ægyptum invasisset, Sethoni recusâsse milites Ægyptios opitulari. Tunc sacerdotem ad incitas redactum, in ædem Dei se contulisse, ibique apud simulacrum comploraſſe, quanta periclitaretur pati; eique inter lamentandum obrepsisse somnum, et in somnis visum adstare Deum, exhortantem, nihil eum molesti passurum, si copiis Arabum obviam iret: se enim Vindices ei missurum.

His insomniis fretum, sumptis Ægyptiorum iis qui sequi vellent, castra in Pelusio posuisse: (hâc enim sunt Ægypti introitus) nec eum fuisse quempiam bellatorum secutum, præter institores, operarios, et forenses homines. Eò quum pervenissent, ipsis hostibus effusam noctu vim agrestium murium, illorum tum pharetras, tum arcus, tum scutorum insuper habenas exedisse: ita ut posterâ die hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis. Et [p. 117.] nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque hæc literis *inscripta* dicens: *IN ME QUIS INTUENS, PIUS ESTO.*

CAP.

CAP. CXXXVI.

De Institutis ac Moribus Persarum.

LIBEROS suos, à quinto anno incipientes usque ad vicesimum, tribus duntaxat instituunt, equitare, arcu sagittas excutere, vera loqui. Ante quinquennium filius in conspectum patris non venit, sed apud fœminas degit. Quod eâ gratiâ sic fit, ut, si inter educationem decedat, nullam hæc prolis jactura patri afferat molestiam. Equidèm hunc morem laudo: laudo item illum, ne ob unam tantùm culpam liceat vel ipsi regi occidere quempiam; neque alicui aliorum Persarum atrociùs aliquid in familiam suam exercere ob unum solum delictum: sed expendere jubetur quisque, si plura ac magna patrârit, atque tum demum justâ utatur indignatione. Suum autem patrem aut matrem aiunt neminem unquam occidisse: verùm, quotquot horum fortè acciderunt, omni necessitate excusâ, hos tandem deprehensos tradunt aut subdititios, aut spurios. Quippe verisimile nequaquam videri [118.] aiunt, ut is, qui verus parens sit, à proprio filio interimatur. Quæcunque apud eos fas non est facere, ea nec dicere. Turpissimum apud eos ducitur, mentiri: secundo loco, æs alienum debere, cùm ob alias multas causas, tum quòd necesse sit eundem qui debet, mendacio quoque obnoxium esse.

CAP. LXXIX.

De Luxu Persarum.

PAUSANIAS autem edicto proposito nequis de præda quid tangeret, jussit servos omnem comportare pecuniam. Illi per castra dispersi inveniunt tentoria auro et argento referta, lectosque auro et argento constratos: crateras etiam aureos, phialasque, et alia vasa potoria, necnon saccos super plaustra, interlucentibus intus inclusis ex auro et argento lebetibus.

tibus. Quinetiam è cæsorum cadaveribus exuebant armillas et torques et acinaces aureos. Nam varii generis vestimenta nullius momenti habebantur, earumque rerum multum furto subtrahentes servi Æginetis venundabant, multum, quod occultare non poterant, repræsentabant. Unde principium extitit ingentium divitiarum Æginetis, utpote aurum à servis pro ære mercantibus. Collatâ autem pecuniâ, decimam selegerunt, ex qua tum Deo qui Delphis est, tripes [p. 119.] aureus ibi repositus est, insistens super tricipiti ex ære colubro, proximè aram: tum Deo, qui est in Olympia, æreus decem cubitorum Jupiter: tum Deo, qui est apud Isthmum, æreus septem cubitorum Neptunus. Hâc parte selecta, ceteras inter se distribuerunt, pro suo quisque merito accipientes: itemque pallacas Persarum, et aurum et argentum et reliquam pecuniam, cum jumentis. Quæ autem peculiariter data sint iis, qui optimam operam navaverant ad Platæas, refertur à nemine, data tamen fuisse arbitror: certè Pausaniæ sunt ex omnibus dena, et ea delecta, dono data, ex mulieribus, equis, talentis, camelis, et item ex cæteris rebus. Feruntur autem hæc quoque acta esse: Xerxem, dum è Græcia fugit, omnem apparatum suum ex auro argentoque, et peripetasmatis Mardonio reliquisse: et Pausaniam, dum eum apparatum vidit, jussisse pistores et coquos cœnam sibi uti Mardonio instruere. Quod quum illi fecissent, tum Pausaniam, lectos intuentem aureos argenteosque probè instratos, mensas etiam aureas ac argenteas, magnificumque cœnæ apparatum, propositis bonis, stupefactum, imperasse per jocum ministris suis, ut Laconicam instruerent cœnam. Id quum illi ex spatio multum distante fecissent, ibi eundem cachinnantem accersisse Græcorum duces, eisque, ubi convenerunt, inter ostendendum utriusque cœnæ apparatum, dixisse; "Viri Græci, hac ego vos de "causa convocavi, quòd volebam vobis amentiam "Medorum ducis ostendere, qui talem vitam ducens "ad nos subigendos venit, tam miserè viventes."

PERICLIS ORATIO FUNEBRIS, Ex THUCYDIDE.

ARGUMENTUM.

EADEM [p. 123.] *hyeme, Athenienses patrio instituto publicè humarunt eos, qui in hoc bello primi mortem obierunt; in hunc ferè modum. Triduò antequam funus efferatur, tabernaculum faciunt, et sub eo defunctorum ossa proponunt; et unusquisque suo* cadaveri *inferias affert, si quas velit. Quum autem funeris efferendi dies venit, plaustra adducuntur, quæ arcas ex cupresso factas ex singulis Tribubus singulas portant. In his autem insunt ossa singularum Tribuum, ex quibus singuli sunt. Unus autem lectus stratus fertur inanis, illorum causâ, qui non exstant, et quorum cadavera inter alia cæsorum corpora reperiri suscipique non potuerunt. Quilibet autem tam de civibus, quàm de peregrinis funus prosequitur: et mulieres, quæ cum illis propinquitatis vinculo sunt conjunctæ, ad sepulchrum adsunt ejulantes. Hæc autem in publico monumento condunt, quod est in pulcherrimis urbis suburbiis: (atque hic semper sepeliunt eos, qui in bello ceciderunt; illis exceptis, qui in campis Marathoniis obierunt: nam cùm illorum virtutem insignem esse judicâssent, in illo ipso loco,* in quo ceciderunt, *sepulchrum etiam fecerunt.) Postquam autem* eos *humarunt, vir aliquis ab ipsa civitate delectus, qui et prudentiâ, et dignitate* cæteris *præstare videatur,* [p. 124.] *orationem illorum laudibus convenientem, super ipsis habet. Postea verò discedunt. Hoc igitur modo* Athenienses suorum in bello cæsorum corpora *sepeliunt. Et toto belli tempore, quoties* hoc ipsis *accidebat, hoc ritu utebantur. Pericles autem Xanthippi* filius *ad hos, qui primi* tunc *obierunt, oratione* funebri

cohonestandos

cohonestandos delectus est: et postquam tempus permisit, à sepulchro in suggestum, quod excelsum erat, ut quàm longissimè per circumstantem hominum multitudinem exaudiretur, progressus, hæc verba fecit.

Multi (p. 125.) quidem eorum, qui ex hoc loco verba jam fecerunt, eum laudant, qui hanc orationem *funebrem* legi, *veterique instituto* addidit: propterea quòd eam de iis, qui in præliis interfecti sepelirentur, haberi præclarum esset. Mihi verò satis esse videtur, virorum, qui re ipsâ, *factisque* fortes exstiterunt, honores etiam re ipsâ, *factisque* declarari; qualia sunt, quæ publicè nunc circa hoc sepulcrum apparata videtis; nec in uno viro multorum virtutes periclitari, ut perinde ac ipse dixerit, sive benè, sive malè ita etiam ei fides habeatur. Difficile enim est modum in dicendo tenere, *ita ut auditori satisfacias:* in quo vel ipsa veritatis opinio vix stabiliri potest. Nam auditor, qui rei est gnarus, et qui *defuncto* est benevolus, fortasse existimabit aliquid parcius declaratum, quàm ipse velit, ac nôrit; et rei ignarus, nonnulla etiam redundare *putabit*, propter invidiam, si quid supra *vires ac* ingenium suum audiat. Eatenus enim laudes, quæ aliis tribuuntur, sunt tolerabiles, quatenus unusquisque se quoque aliquid eorum, quæ audivit, facere posse, putat. Sed quum *auditores* exsuperantiæ *virtutis* ipsorum *defunctorum* invident, tunc verò non credunt, *quæ de illis dicuntur*. Quoniam autem majores nostri hæc præclarè se habere censuerunt, oportet me quoque legi huic obsequentem operam dare, ut quàm maximè potero uniuscujusque vestrûm voluntati ac opinioni satisfaciam.

Initium (p. 126.) autem à majoribus ducam. Æquum enim est, simul etiam decorum, in hac laudatione hunc honorem commemorationis ipsis tribui. Nam regionem istam iidem semper incolentes, succedentibus posteris ad hoc usque tempus liberam suâ virtute tradiderunt. Itaque cum illi laude sunt digni,

tum etiam magis patres nostri: nam cum ad ea, quæ à *majoribus* acceperant, tantum imperium, quantum hoc est, quod obtinemus, acquisivissent, id non sine labore nobis, qui heic sumus, prætereà reliquerunt. Majorem verò hujus imperii partem nos ipsi, nos ipsi, præsertim qui nunc sumus integrâ et maturâ ætate, propagavimus; urbemque rebus omnibus, et ad bellum, et ad pacem pertinentibus instructissimam, ac ornatissimam reddidimus. Quorum *majorum* præclara facinora in bellis edita, quibus *hæc* omnia sunt parta, aut si quid nos ipsi, aut patres nostri, bellum à Barbaris, aut à Græcis illatum alacriter propulsantes fecimus, quia apud vos rerum gnaros prolixiore oratione uti nolo, *hæc* omittam. Sed quibus studiis ad hoc imperium pervenerimus, et quo Reipublicæ administrandæ genere, quâve disciplinâ sit auctum, ubi prius hæc declaravero, tunc et ad istorum laudationem accedam: tum quod existimem hanc orationem non indecoram fore institutæ huic laudationi, tum etiam quòd universo tam civium quàm peregrinorum cœtui conducere *judicem*, harum *rerum* commemorationem audire.

Nos enim eâ Reipublicæ administratione utimur, quæ aliarum civitatum leges non æmulatur, imò verò nos ipsi nonnullis potius exemplo sumus, quàm alios imitamur. Et nomine quidem Democratia vocatur; propterea quòd non ad paucorum, sed ad communem utilitatem administramus. Omnes verò ex legum præscripto in privatis controversiis fruuntur juris æquabilitate; et pro dignitate, ut quisque aliqua in re excellit, ita etiam, non *quòd sit* ex *aliqua civium* parte potius, (p. 127.) quàm virtutis gratiâ, in Republica *aliis* anteponitur, neque etiam propter paupertatem ac dignitatis obscuritatem, dummodo aliqua in re civitati prodesse possit, arcetur. Liberaliter porro rempublicam administramus, nec per mutuam quotidianarum actionum suspicionem aliis, si quid animi causâ agunt, succensentes; neque molestum, licet innoxium, vultu dolorem præferentes. Sed privata

vata negotia *inter nos* sine molestia agentes, ea, quæ ad rempublicam pertinent propter metum non violamus; illis, qui sunt in Magistratu, semper obtemperantes, et legibus, iis potissimum, quæ latæ sunt, ut auxilio sint hominibus injuriâ affectis, atque adeo illis, quæ licet non sint scriptæ, certam tamen ignominiam afferunt.

Quinetiam laborum crebras remissiones animis nostris invenimus, certaminibus et sacrificiis anniversariis, quæ moribus ac institutis patriis sunt recepta, nos recreantes, et decoro privatorum apparatu, cujus quotidiana voluptas dolores excutit. Huc autem, ex omnibus orbis terrarum partibus, omnia propter urbis magnitudinem importantur; acciditque nobis, ut non magis familiariter nostris, quàm aliorum etiam mortalium bonis perfruamur.

Quinetiam rerum bellicarum studiis præstantiores sumus nostris adversariis, his urbem omnibus communem exhibemus, nec ullis peregrinorum expulsionibus quemquam unquam à disciplinis aut spectaculis arcemus; quod minimè absconditum, si quis ex hostibus viderit, utilitatem percipere possit: quippe non tam apparatibus et dolis, quam nostræ in rebus gerendis fortitudini, confidimus. Atque in disciplinis, (p. 228) hi quidem *Lacedæmonii* statim ab ineunte ætate virtutem exercitatione laboriosa consectantur. Nos vero, quamvis remisso vitæ genere utamur, nihilò tamen secius, ac illi, æqualia pericula subimus. *Hujus autem rei* hoc est argumentum. Neque enim Lacedæmonii per se, sed cum omnibus auxiliis nostrum agrum invadunt. Nos vero, *sine externis auxiliis* aliorum *agrum* invadentes, in alieno cum iis, qui pro laribus suis decertant, bellum gerentes, victoriam plerumque obtinemus. Nec ullus hostis in nostras copias frequentes adhuc incidit, simul, cùm propter nostrum rerum nauticarum studium, tum etiam propter copias, quas, ex nostrorum civium et subjectorum numero collectas, in diversa terrarum loca dimittimus. Quòd si uspiam cum aliqua *nostrarum copiarum* particu-

la manus conſeruerint; et quum aliquos de noſtris ſuperarunt, omnes *à ſe* pulſos gloriantur, et quum victi fuerunt, ſe ab univerſis victos fuiſſe *dicunt.* Quamquam ſi otio potius, quàm generoſis moribus pericula ſubire velimus: nobis contingit, ut et ærumnis futuris non defatigemur; et quum in ipſas jam veniremus, non minus audaces ſimus *in his tolerandis*, quàm qui perpetuò ſe exercent.

Hinc etiam accidit, ut cum in hiſce rebus tum etiam in aliis noſtra civitas admiratione ſit digna. Nam elegantiæ quidem ſtudemus; *ſed* cum frugalitate, *et ſine luxu:* et philoſophamur; *ſed* ſine mollitie. Et divitiis in rerum gerendarum opportunitate potius utimur, quàm ad inanem verborum jactationem; neque turpe cuiquam *eſt* ſuam paupertatem fateri: ſed turpe *eſt*, non *conari eam* re ipsâ vitare. Et in iiſdem *hominibus* ſimul et privatarum, et publicarum *rerum* cura ineſt: quinetiam aliis, qui opificiis dant operam, *hoc adeſt*, ut Reipublicæ adminiſtrandæ non minus, *quàm cæteri*, ſint periti. Nos enim ſoli eum, qui rerum iſtarum nullam habet notitiam, non otioſum, ſed inutilem eſſe ducimus. Iidem etiam res rectè judicamus, et animo concipimus: (p. 129) non exiſtimantes orationem rebus nocere; ſed potius oratione non prius doceri, quam ad res, quæ ſunt gerendæ, exſequendas accedas, *detrimento eſſe ducentes.* Nam hoc quoque præ cæteris eximium habemus, quod et iidem maximè audeamus, et quæ *audemus ac* aggredimur, *ea maximè* conſideremus: quod aliis *obeſſe ſolet: nam* imperitia quidem, audaciam; conſideratio vero *difficultatum ac periculorum*, cunctationem *et metum* affert. Illi autem jure fortiſſimi ſunt habendi, qui aſpera et jucunda maniſeſtiſſimè cognoſcunt, nec tamen propterea a periculis adeundis deterrentur. In iis etiam, quæ ad beneficentiam pertinent, a multis diſcrepamus: nam non accipientes, ſed dantes beneficium, amicos nobis comparamus. Is autem, qui dat beneficium, amicus eſt conſtantior, ut debitam *ſibi gratiam, in eo* tueatur, cui *beneficium* benevolentiæ

cauſa

causa dedit. Sed qui pro beneficio *acceptio gratiam referre* debet, est *in amore* hebetior; quia scit se beneficium non daturum sed rem debitam persoluturum. Nos etiam soli non magis habita quæstûs ratione, quam certa liberalitate freti, quoslibet magnificè juvamus.

Atque ut rem paucis expediam, dico et totam istam civitatem esse Græciæ magistram, et singulos ejus cives, atque eosdem homines apud nos mihi videri ad plurima rerum genera, et cum maxima gratia, maximaque venustate sese idoneos exhibere. Quod autem hæc, quæ in præsentia dicuntur, non magis verborum inani jactatione, quam rerum veritate nitantur, hæc reipublicæ potentia, quam his studiis paravimus, *facilè* indicat. Sola enim *omnium* earum, quæ nunc exstant, famam superans, dato documento cognoscitur; solaque ne hostibus quidem sibi bellum inferentibus indignationem affert, quasi clades accipiant à civitate, quæ minorem et potentiam et dignitatem habeat; neque populis subjectis conquerendi materiam præbet, quasi viris imperio indignis pareant. Magnis autem exemplis potentiam relinquentes contestatam, et nostræ ætatis hominibus, [p. 130.] et posteris admirationi erimus; ita ut nec Homerum præconem simus desideraturi, nec alium quempiam, qui suis quidem carminibus animos in præsentia demulceat, rerum vero gestarum opinione veritatem lædat: quippe qui terram ubique atque mare nostra audacia nobis pervia esse coegimus; et malorum, *quibus hostes*, et bonorum, *quibus amicos affecimus*, sempiterna monumenta plurimis in locis ereximus. Pro tali igitur civitate et isti, quod se hac privari iniquum ducerent, fortiter pugnantes occubuerunt; et quemlibet eorum, qui sunt reliqui, pro ipsa labores alacri animo subire decet.

Quamobrem etiam orationem de Republica *longius* produxi, ut docerem non de re pari nobis certamen esse et *aliis*, qui nihil horum æque habent: simul etiam, ut signis manifestis demonstrarem laudem eorum

rum

rum, quos oratione cohonestandos mihi jam proposui: quanquam maxima pars ipsius *laudationis à me* jam est explicata. Nam in quibus urbem laudavi, iis horum similiumque virtutes illam ornârunt. Neque apud multos Græcorum facile, ut apud hos, dicta factis exæquata appareant. Nam præsens istorum mors virtutem *uniuscujusque* viri declarare, et prima indicare, et postrema confirmare mihi videtur. Etenim æquum est illorum, qui cæteris in rebus fuerunt deteriores, *quam alii*, bellicam pro patria fortitudinem, *qua pollent ipsi*, primo loco poni: nam benefacto malefacti memoriam delentes, publicè plus utilitatis universæ civitati attulerunt, quam privatim suis vitiis eam læserunt. Horum vero nullus divitiarum fructum, quem se in posterum ex ipsis percepturum speraret, *virtuti* anteponens, mollis ac ignavus fuit; neque spe paupertatis *vitandæ*, quasi hac vitata dives vel posthac esset futurus, pericula detrectavit: cum hostium ultionem longe magis quam illorum fruitionem expetendam ducentes, tum hoc omnium pulcherrimum periculum existimantes; hoc subeundo, illos quidem ulcisci, hæc vero assequi voluerunt. Incertum quidem rei feliciter gerendæ eventum spei committentes; id vero quod jam cernebatur, in sua ipsorum virtute, ejusque fiducia ponendum censentes: atque in eo ipso [p. 131.] pulcrius existimantes in hoste propulsando vel ipsam mortem obire, quam cedendo salutem sibi parere: verborum quidem dedecus vitarunt, rem vero ipsam corpore pertulerunt; et brevissimo temporis spatio, brevissimaque fortunæ inclinatione, summa potius cum gloria, quam cum timore de vita decesserunt.

Atque hi quidem, quales eos esse oportuerat, tales in patriam extiterunt. Reliquos vero tutiorem quedem optare, sed nequaquam minus audacem in hostes animum habere velle oportet: nec oratione sola utilitatem spectare, quam apud vos rerum non minus gnaros, *quam ego sum*, aliquis dicendo amplificare posset, recensens quot bona insint in hostium propulsatione; sed potius hujus reipublicæ potentiam quotidie

factis

factis contemplari, ejusque valde amantes evadere. Et quum hæc *urbs* vobis magna esse videbitur, illud cogitate, viros fortes, et qui norant quid facere deceret, quique in ipsis rebus gerendis erubescebant, istam rerum potentiam comparasse: et qui, quoties à rei alicujus tentatæ adeptione aberrarunt, non propterea etiam rempublicam suâ virtute fraudandam censuerunt; sed ipsi pulcherrimam collectam prolixo et libenti animo dederunt. Publice enim corpora dantes, privatim gloriam non senescentem acceperunt, et honorificentissimam sepulturam, non *eam* potius, in qua illi ipsi quidem homines siti sunt, quàm *eam*, in qua ipsorum gloria, in qualibet rerum vel dicendarum vel agendarum occasióne, quæ sese offeret, perpetuo celebranda relinquitur. Nam (p. 132.) virorum illustrium omnis est regio sepulcrum, neque sola cipporum in domestico inscriptio *virtutem eorum* testatur; sed etiam in alieno *solo* memoria nullis mandata scriptis, magis apud animum cujusque, quam apud sepulcrum, exstructum, perpetuo manet. Quos ipsi nunc imitandos vobis proponentes, et felicitatem existimantes esse libertatem, et libertatem esse animi generositatem, bellica pericula subire ne recusetis. Nec enim homines calamitosi, quibus nulla boni spes adest, vitam potius profundere debent, quam illi, quibus, si diutius vivant, fortunæ ex secunda in adversam periculosa etincerta commutatio est extimescenda; etquorum potissimum maximè interest, si quid offenderint. Nam vexatio cum mollitie conjuncta, viro saltem magnanimo est acerbior, quam mors sensu carens, quæ cum fortitudine, simul et cum publica spe, ipsi accidit.

Quamobrem etiam nunc istorum parentes, quotquot adestis, non magis deflebo, quàm consolabor. Hominum enim vitam variis fortunæ casibus obnoxiam esse sciunt. Illi autem felicitatem *sunt adepti*, quibus honestissimus vitæ finis, ut nunc istis *mortuis*, vobis vero mœror obtigit: et quibus datum est, ut *eorum* vita feliciter acta pariter et finita censeatur. Scio autem difficile esse persuadere vobis, quorum monumenta vel

sæpius

sæpius in aliorum rebus secundis habebitis, quibus vos quoque quondam exsultabatis: nec dolor *contingit*, quum quis bonis, quæ nunquam est expertus, privatur: sed quum quis *eo bono* spoliatur, quo frui consueverat. Hoc tamen spe aliorum quoque liberorum tolerandum est illis, qui per ætatem liberos adhuc suscipere possunt: nam futura sōboles et privatim defunctorum oblivionem nonnullis afferet; et Reipublicæ bifariam *proderit*, tum quia *ad urbis frequentiam*, ne deserta relinquatur, tum etiam quia ad *ejus* præsidium conferet. Fieri enim non potest, ut, qui liberos non habent, quos *pro patria* periculis objiciant, perinde atque (p. 133.] isti fecerunt, quicquam justum aut æquabile in commune consulant. Quotquot vero ætate jam provecta estis, vitam actam, quæ fuit longior, et in qua floruistis, loco lucri ducite; et reliquam brevem fore existimate, et istorum gloria dolorem levate. Solum enim honoris *et veræ gloriæ* studium non senescit: neque in ea ætatis infirmitate, quæ hominem reddit inutilem, quæstus, ut nonnulli dicunt, magis delectat, quam ipse honor, quo quis ornatur.

Liberis autem, et fratribus istorum, quotquot hîc adestis, magnum certamen *propositum esse* video. Eum enim, qui fato functus est, quilibet laudare solet. Et vix vestræ virtutis exsuperantia *hoc assequi poteritis, ut* non *dico* pares illis; sed ut paulo inferiores judicemini: nam livor est inter æmulos, quamdiu vivunt. Sed id, quod nullis est impedimento, *et is qui jam obiit*, benevolentia non æmula colitur. Si quam autem et de virtute mulierum, quæ in viduitate nunc erunt, mentionem me facere oportet, brevi adhortatione rem totam complectar. Nam gloriam magnam adipiscemini, si à pristina vestra natura *sexuque* non desciveritis? et si operam dederitis, ut quam minimum rumoris, sive in bonam, sive in malam partem, de vobis inter mares disseminetur.

Exposui ego quoque oratione, ex legis præscripto, quæcunque ad rem præsentem facere judicavi: et re ipsa

ipsa qui sepeliuntur, partim quidem jam sunt ornati, partim vero illorum liberos civitas publicè alet ad pubertatem usque; utilem profecto et istis et posteris coronam hujusmodi *bellicorum* certaminum proponens. Nam apud quos maxima virtutis præmia proponuntur, in horum etiam civitate viri præstantissimi versantur. Jam vero, postquam vestros quique necessarios deploraveritis, abite.

LYSIÆ

FUNEBRIS ORATIO

IN

CORINTHIORUM SOCIOS.

SI [p. 138.] existimarem, ô adstantes, ullo modo fieri posse ut ad hunc tumulum verbis aliquis declararet eorum fortissimorum hominum qui hîc jacent virtutem improbassem nimirum istorum consilium qui oratorem intra paucissimos dies conclusere. Jam vero cum universa ætas omnibus hominibus non sufficiat ad orationem elaborandam eorum factis adæquatam, inde adeo nostra Civitas mihi videtur non nisi oratorum existimationi consulens munus illud ex subito demandare, reputans ea potissimum ratione fore ut illi ab auditoribus veniam consequerentur. Veruntamen cum de iis hominibus oratio mihi sit habenda, contentio tamen nostra neutiquam cum eorum rebus gestis futura est, sed cum illis qui ante me verba fecere. Tantam enim dicendi copiam comparavit e-

orum

orum hominum virtus, tum illis qui res gestas versibus includere possint, tum illis qui perorare velint, ut cum multa egregia à superioribus de iis jam dicerentur, tum multa etiam ab illis præteriri, et posterioribus, [p 139.] materia satis ampla ad dicendum relinqui videretur. Nullæ quippe sunt regiones, nulla maria quo eorum virtus non se extenderit, sed omnimodo apud universas ubique gentes qui suas calamitates lamentantur nostrorum hominum virtutes prædicant.

Statutum est igitur primo majorum nostrorum res gestas vetustati consecratas verbis recensere, quarum memoriam suppeditabit communis hominum fama. Æquum est enim ut in omnium hominum sensibus eorum recordatio efflorescat, ut eos scilicet in poetarum versibus decantent, ut una laudent in bonorum hominum commemorationibus, in hujusmodi maximè tempestatibus debita reverentia prosequantur, et ex defunctorum denique exemplis posterorum consulant disciplinæ. Amazones enim, id quod longe est antiquissimum, Martis erant filiæ. Incolebant illæ juxta Thermodonta fluvium, solæ ex finitimis regionibus quæ ferro armabantur, omnium vero primæ quæ vehebantur equis, quorum ope propter hostium imprudentiam, fugientes præter fidem antevertebant, persequentes autem longe post se relinquebant. Existimabantur autem potius ex audacia esse viri quam ex sexu mulieres. Plus enim videbantur viris animo superesse quam specie cedere. Illæ [140.] multarum gentium imperio potitæ, debellatis jam undequaque finitimis, et ad aures tandem pertingente hujusce populi fama, magna inde nominis celebritate, hinc plurima spe arrectæ, adsumptis in societatem bellicosissimis nationibus, huic civitati bellum intulere. Ibi demum viros nactæ fortissimos eam solam expromebant virtutem quæ sexui competebat; et opinione deceptæ potius ex magnitudine periculorum quam dissimilitudine corporum mulieres esse videbantur. Omnium autem solis illis non contigit ut ex erroribus admonitæ

admonitæ de futuro rectius consulerent, neque ut domum reversæ renunciarent suam calamitatem et majorum nostrorum virtutem. In prœlio enim cadentes et suæ temeritatis persolventes pœnas huic civitati immortale virtutis nomen pepererunt: suæ autem patriæ memoriam propter universam stragem penitus delerunt. Ita illæ alienæ regionis injuria appetentes jure suam perdidere.

Deinde autem Adrasto et Polynice adversus Thebas expeditionem suscipientibus et in acie cæsis, cum Cadmei humari cadavera bello interfectorum prohiberent, Majores nostri rati illos, si quid deliquissent, jam morte summum supplicium persolvisse, debito autem jure fraudari Deos [141.] Manes, et neglectis religionibus profanari etiam Superos, ibi primum missis præconibus per gratiam orant uti illis de jure sepulturæ concederent; existimabant enim virorum esse fortium à vivis quidem hostibus pœnas reposcere: imbellium sibique ipsis diffidentium in defunctorum cadaveribus magnanimitatem velle expromere. His autem non impetratis copias eduxerunt, non veteribus Thebanorum inimicitiis adducti, neque ideo quod Argivorum qui supererant gratiam aucuparentur: verum profecto æquum esse rati ut bello cæsi in communia mortuorum jura reciperentur, pro utrisque adversus alteros periculum subiere: pro Thebanis, ut non amplius in mortuorum jura reciperentur, pro utrisque adversus alteros periculum subiere: pro Thebanis, ut non amplius in mortuorum jura peccantes Deos pergerent contumelia lacessere: pro Argivis, ne domum reverterentur frustrati patriis religionibs, communi Græcorum jure privati et publica omnium spe et exspectatione destituti: ita animati et secum reputantes belli fortunas communes omnium hominum esse, hostes quidem nacti plurimos, verum justitiam commilitonem, acies conferunt, et vincunt. Tum vero non secundis rebus elati ulteriores pœnas ab hostibus postulabant, verum illis pro eorum impietate suam virtutem demonstrabant, ipsi autem ea præmia con-

* H secuti,

secuti, quorum gratia venerant. Argivorum [142.] cadavera in Eleusine Atticæ sepeliebant. Tales igitur erga interemptos in bello contra Thebas exiltere.

Procedente tempore cum jam Hercules inter homines esse desivit, ejus autem posteri Eurystheos immanitatem fugientes ab omnibus Græciæ civitatibus exterminabantur, (quæ, cum re vera crudelitatis pudebat, Eurystheos tamen potentiam reformidabant) ii ad nostram civitatem appulsi supplices ad Aram Misericordiæ confugiunt. Quos cum exposcebat Eurystheus, majores nostri tradere noluerunt, Herculis virtutem magis reveriti quam de proprio ipsorum discrimine solliciti, et sustinuerunt potius pro imbecilliorum salute, Justitia comite, dimicare, quam potentioribus obsequentes laceratam ab iis gentem rursus in cladem tradere. Impetu igitur ab Eurysthe facto cum iis qui tunc temporis Peloponnesum incolebant, Athenienses non, propius adventante periculo, eo animum aut consilium mutarunt, sed eandem quam olim mentem confirmate gerebant, non idcirco quod pater quidquam de civitate meruit, vel quidquam omnino de liberis satis explorati habuerunt quales demum viri forent exstituri: sed suæ justitiæ esse existimantes, quanquam nec veteres [143.] cum Eurysthe simultates intercederent, neque mercedis quidquam proponi viderent præter illam laudis et gloriæ, tantum pro Heraclidarum salute discriminis subierunt: adflictorum misericordia, adfligentium odio ducti: Horum injurias prohibere, illorum calamitatibus succurrere meditantes: atque secum cogitantes libertatis esse argumentum, nihil facere invitos, justitiæ, adflictis opitulari, magnanimitatis denique, pro utrisque, si res ita postulaverit, dimicando occumbere. Ad tantam denique animi obfirmationem utrinque erat perventum, ut Eurystheus jam noluit quidquam a volentibus per gratiam accipere, contendebant vero Athenienses Eurysthea jam ne precibus perfecturum ut eorum supplices abduceret. Legionibus igitur privatis instructis confertissimum et ex omni Peloponneso conflatum

ſtatum exercitum bello repulere: et Poſterorum Herculis corpora extra formidinem poſuere animas ea ſublata liberarunt, ob patris denique virtutem filios etiam ſuis periculis coronarunt. Adeo demum meliori fortuna quam parens uſi ſunt liberi etiam prima ætate. Ille enim tametſi plurimorum bonorum cunctis mortalibus auctor exſtitiſſet, ſibi vitæ rationem operoſam, bellicoſam et exercitatiſſimam conſtituens, cæteros quidem injurioſos comprimebat, Euryſthea vero et inimicum et multarum injuriarum auctorem ulciſci non potuit: Cujus tamen liberi noſtræ civitatis beneficio eodem die conſecuti ſunt, tum ut ii ſalvi eſſent, tum ut ab inimicis juſtæ pœnæ repeterentur.

Igitur majoribus noſtris [144.] multæ cauſæ ab initio ſuberant, quare ſententiis adunatis pro juſtitia contenderent. Juſta quippe fuere vitæ initia. Non enim, ut plurimi, colluvies undique collecta expulſis prioribus colonis alieno ſolo inſedere, ſed eodem innati quod incolunt, quæ illis ſedes eandem originem habuere. Illi primi et ſoli ea tempeſtate paucorum dominationibus apud ſe deletis Democratiam inſtituere, exiſtimantes communem omnium libertatem maximam et veram eſſe concordiam. Quare cum diſcrimina æquali invicem et communi ſpe adirentur, Rempublicam liberis animis gerebant, bonos definitis legibus honorantes et malos coercentes. Exiſtimabant enim belluarum eſſe à ſe invicem vi contineri, homines autem decere lege jus deſcribere, oratione perſuadere, revera autem hiſce obtemperare, imperante lege, informante verò oratione. His itaque præclaris editi primordiis neque minora profecto aut vulgaria ſentientes majores eorum qui hîc jacent plurima egregia atque admirabilia prorſus præſtitere; quorum poſteri ſua etiam virtute freti præclariſſima tropæa atque omni commemoratione digna ubique gentium reliquere. Soli namque pro univerſa Græcia contra multa Barbarorum millia bis in aciem prodierunt. Rex enim Aſiæ præſentibus fortunis neutiquam contentus, verum in animo ſpem concipiens ſe poſſe tó-

tam Europam in servitutem redigere, quingenta millia hominum exercitum transmisit. Hi autem rati, quod, si hanc [145.] civitatem vel blanditiis ad amicitiam pertraxerint vel ingratiis everterint, tum denique facillimum foret cæteris Græcis imperitare, in campum Marathonium descenderunt. Existimabant enim Græcos ita maxime sociis fore destitutos, si trepidante Græcia qua potissimum ratione invadentes repulerint, periculum facerent. Accedebat etiam, eos ex priore tempore gestis talem de nostra civitate cepisse opinionem, quod si adversus alium primo populum perrexerint, tum eos tum Athenienses hostes forent habituri, (quippe quos scirent injuria adfectis alacriter auxilio venturos) sin autem adversus hos primum aciem instituerint, nemo reliquorum Græcorum sustineret apertas inimicitias cum illis pro aliena salute suscipere. Hæc illi ita secum reputabant. Majores autem nostri non mente solum et cogitatione complectentes belli pericula, verum arbitrati pulchram mortem immortale nomen apud bonos omnes relicturam, neutiquam reformidabant hostium multitudinem, sed potius in sua virtute salutem poni existimabant: et pudore adfecti quod jam eorum solum occupassent barbari, noluerunt exspectare usquedum rescirscerent socii et auxilio præsto essent, neque oportere existimabant se cæteris, sed sibi cæteros salutis gratias habere. Hæc cum omnes una sentirent, obviam processere, pauci quamplurimis. Putabant enim decere se cum omnibus occumbere, fortis vero esse cum paucis, vitam alienam propter [146.] mortem reputare, gloriam vero ex periculis propriam et suam relinquere. Existimabant autem se, quos soli non potuerunt, ne cum sociis quidem posse vincere: fore autem ut devicti cæteros morte pauxillulum antecederent, victores vero etiam cæteros in libertatem vindicarent. Jam denique viros se fortissimos exhibentes, neque corporibus parcentes, et præ virtute vitam etiam contemnentes, suas domi leges magis reveriti, quam periculum contra hostes metuentes, tropæa

statuerunt

ftatuerunt pro Græcia de Barbaris qui ex fuis finibus quæftus caufa excitati alienos præter fidem invafere. Ea vero celeritate rem confecerunt ut reliquis uno ore renunciaretur Barbarorum adventus et majorum noftrorum victoria. Ac cæterorum quidem neminem follicitum tenuit futurum aliquod periculum, verum unusquisque eodem nuncio voluptatem ex fua falute confirmata percepit. Nihil itaque mirum fi ob veteres res præclare geftas perinde atque fi novæ fuiffent, etiam hodie noftrorum majorum virtus omnibus hominibus fummo effet in honore et admiratione.

Poft hæc autem Xerxes Afiæ rex Græciam adfpernatus, fuaque fpe fruftratus, dedecoratus ob res infeliciter geftas, cladem ægrè ferens, auctoribus vero fuccenfens, calamitatum impotens et qui fortiffimos viros nunquam effet expertus, coactis per integrum decennium copiis, cum claffe mille et ducentarum navium ad Græciam, [147.] proficifcitur. Peditum autem adeo infinitam multitudinem fecum duxit, ut operofum effet nationes quæ eum fequebantur vel nomine recenfere. Quod vero eft maximum multitudinis argumentum, id proferam. Nam cum illi liceret pedeftres copias ex Afia in Europam mille navibus trajicere ad anguftiffimam Hellefponti partem, noluit, ratus id fibi non minimæ moræ futurum. Defpectui igitur habitis rerum natura, Dei inftitutis et cunctorum mortalium fide, iter per mare, navigationem per folum vi inftituit, juncto Hellefponto atque diffoffo Atho. Hunc fuftinuit nemo, fed partim inviti paruere, partim fe ultro dedidere. Nam alii quidem ad refiftendum non fatis erant inftructi, alios labefactaverat pecunia. Hinc quæftus, inde perfuafit metus. In hoc rerum Græcarum ftatu, Athenienfes ipfi naves complent atque ad Artemifium auxilio proficifcuntur. Lacedæmonii vero et Sociorum nonnulli ad Thermopylas occurrunt, exiftimantes fe ob itineris anguftias facile aditum munire poffe. Inito utroque prœlio fub eadem fere tempeftate Athenienfes quidem navali bello fuperiores exftitere; Lacedæmonii

dæmonii vero non animis fracti sed utroque numero decepti, tum illorum quos una præsidio fore existimabant, tum illorum cum quibus erant dimicaturi, non ab hostibus superati, sed occumbentes quo loco constituti erant ad pugnandum. Ita Lacedæmoniis adversa fortuna usis, Barbaris transitu potitis, hi recta ad hanc urbem contendunt: Majores (148.) vero nostri accepta clade Lacedæmoniorum, incerti quid consilii in re tam ancipiti caperent, haud ignari, quod si pedestribus copiis obviam Barbaris procederent, illi cum mille navibus appellentes exinanitam urbem caperent: quod si naves conscenderent, eadem à pedestri exercitu caperetur: utrumque vero non potuerint, et hostibus obviam ire, et satis præsidii domi relinquere: duabus vero propositis conditionibus, utrum scilicet deserenda esset patria, an inita cum Barbaris societate Græcos in servitutem redigerent; rati potiorem esse cum virtute, cum inopia et fuga libertatem, quam cum opprobrio et divitiis conjunctam patriæ servitutem, deseruere urbem pro Græciæ fortunis: ut discretim adversus alteram, non adversus utramque simul aciem belli periculum facerent. Depositis igitur liberis, uxoribus et matribus Salamine, reliquorum sociorum classem congregarunt. Paucis diebus interjectis accessere Barbarorum terra marique copiæ, quas vel aspectando quis non perhorresceret? Quantum et quam grave discrimen tum temporis adiit nostra civitas pro communi Græciæ libertate? Qua autem mente fuisse judicatis (149.) tum eos, qui ex terra classem illam intuerentur (ambigua propria salute, et periculo jam instante) tum eos qui jam erant navibus dimicaturi pro maxima necessitudine, pro iis belli præmiis quæ apud Salaminios reponebantur? Tanta undique circumstetit hostium multitudo, ut omnium quæ aderant malorum levissimum judicarent suam mortem prævidere, gravissimam vero calamitatem, ea quæ à Barbaris, si superiores extiterint, Deportatos passuros exspectabant.

Illi certe ob præsentes angustias sæpenumero dextras

tras junxere, suasque vices jure deplorabant; suarum navium paucitatem, adversariorum multitudinem videntes: sciebant præterea urbis solitudinem, devastatum agrum et Barbaris refertum, (fanis Deorum incensis, extremis omnibus paratis et prope jam instantibus) audiebant eodem tempore commisceri Græcum et barbaricum Pæana, utramque classem suos adhortari, et pereuntium tristes ejulatus, mari cadaveribus referto, fractisque plurimis et amicorum et hostium (150.) navibus, et prœlio per diutinum tempus ancipiti, aliquando existimantes se superare et salvos fieri, aliquando debellari et periisse. Illi certe ob instantem terrorem multa vidisse existimarunt quæ non videbant, multa audivisse quorum nihil audiebant. Quæ Deorum non factæ sunt supplicationes aut mentiones sacrificiorum? Qui puerorum fletus, uxorum desideria, parentumque lamentationes? Tum autem tristis malorum computatio quæ superatos erant sequutura? Quem Deum non eorum miseresceret propter periculi immanitatem? Quis hominum non eos lacrymis prosequeretur? Aut quis eorum magnanimitatem non summa haberet in admiratione? Illi certe virtute longe cæteris hominibus præstitere cum in consiliis ineundis tum in rebus gerendis: qui urbem deserere sustinebant, et navibus conscensis suas animas numero paucas opponere Asiæ multitudini in unum conlectæ. Ex eo autem conflictu cum superiores discessissent, omnibus significarunt potius esse paucos pro sua libertate dimicare quam multos dominatione oppressos pro alienà servitute. Majores igitur nostri ad Græciæ libertatem plurima et præclarissima contulerunt, ducem quidem, Themistoclem, lingua, consilio et rebus gerendis summum, classem autem majorem quam reliqui socii omnes, tum vero milites usu et experientia exercitatissimos. Quemquamne igitur populum ex tota Græcia cum iis consilio, numero vel virtute contendere? Jure igitur primas istius belli [p. 151.] laudes à Græcis sine ulla controversia reportarunt, fortunam periculorum magnitudini

nitudini æqualem merito sunt adepti, suamque virtutem barbaris Asiaticis veram esse et genuinam comprobarunt. Cum hujusmodi igitur in ea naumachia se præstitissent, et laboris et periculi longè majorem partem sustulissent, privata virtute publicam libertatem et cæteris compararunt

Deinde autem cum Peloponnenses Isthmum muro claudere instituerint, et satis duxerint sibi salutem fuisse comparatam, existimantes se jam ab omni maritimo periculo esse liberatos, et in animo habentes Græcorum cæteros otiose spectare prædæ barbaris factos, ibi majores nostri irâ commoti admonuere, ut, si ita essent animati, totam potius Peloponnesum muro cingerent. Fore enim, ut, si ipsi à Græcis proditi barbaris essent adjuncti, neque ipsis opus esset mille navibus, neque illos adjuvaret in Isthmo murus: imperium quippe maris impune sub Rege esse futurum. Igitur admoniti et existimantes se quidem injuriose agere et male consulere, Athenienses vero et justa dicere et quæ forent illis utilissima admonere, Platæas auxilio venere. Sub noctem vero sociorum plurimis ex acie dilapsis ob hostium multitudinem Lacedæmonii et Tegeatæ barbaros in fugam vertere; Athenienses vero et Platæenses eos Græcos debellarunt qui de libertate desperabant et servitutem sustinuere. In eo autem die præclarissimum finem imponentes superioribus periculis Europæ stabilem libertatem compararunt, et in omnibus periculis suam virtutem demonstrantes, cum soli (p. 152.) tum in societate, terra marique, et in barbaros et in Græcos, ab omnibus digni sunt habiti, cum à sociis tum ab hostibus, qui duces Græciæ forent.

Interjecto tempore, conflato bello Græco ob præteritorum æmulationem, rerumque gestarum invidiam, cum omnes præclara omnia sentirent, singuli levissimam criminationem exspectarent, Athenienses adversus Æginetas eorumque socios navali bello dimicantes septuaginta triremes cepere. Sub idem vero tempus cum Athenienses et Ægyptum et Æginam armis infestarent,

infestarent, aberantque ii qui per ætatem in armis esse poterant vel navibus vel in terrestri militia, Corinthii eorumque socii existimantes se vel in loca indefensa posse irrumpere, vel exercitum ab Ægina revocare, universo milite egressi Geraneam occuparunt. Athenienses vero, neminem eorum qui vel longius aberant, vel qui prope adessent, accersere voluere: Sed propria virtute confisi, et invadentes adspernati, seniores et impuberes per se solos periculum adire sustinebant: virtutem illi experientia, hi genere consecuti, cum illi plurimis in locis rem ipsi fortiter gessissent, hi vero illos imitarentur: Senioribus imperare doctis, junioribus imperata facere valentibus. Et duce Myronida ipsi ad Megaricam [p. 153.] obviam euntes omnes eorum copias pugnando devicere, cum militibus partim ætate fractis, partim nondum confirmata, iis in alienum solum occurrentes qui in suum impetum facere in animo habuissent, et Tropæum statuentes, rerum à se pulcherrimè gestarum, hostibus vero turpissimarum, illi jam non amplius, hi nondum robore valentes: utrique tamen animorum viribus superantes, cum pulcherrima gloria domum reversi, hi rursus disciplinis instituebantur, illi de futuris consultabant.

Sed non levis est operæ res à multis præclare gestas ab uno singulatim recenseri, et per omne tempus perpetratas in uno die exponi. Quod enim tempus, quæ oratio, qui rhetor par erit enarrandæ eorum hominum virtuti qui hic sepeliuntur? Hi enim laboribus quam plurimis, conspicuis maxime certaminibus, periculisque pulcherrimis Græciam in libertatem vindicabant, suamque patriam summam reddidere: imperio maris per annos septuaginta potiti, sociosque à seditione immunes præstantes: Non plurimos comparantes ut paucis servirent, sed omnibus ad æqualitatem coactis: non socios adfligentes, verum etiam illos confirmantes, suasque viris istiusmodi demonstrantes, ut magnus rex non jam amplius aliena adpeteret, sed et de suis aliquid remitteret et de residuo etiam pertimesceret. Neque per ea tempora triremes

ex

ex Asia navigabant, neque tyrannus inter Græcos excitatus est, neque urbs aliqua Græca a barbaris in servitutem redacta est. Eam demum moderationem et metum horum hominum virtus universis mortalibus conciliavit Quibus de causis [p. 154.] hos solos cum Græcis præfectos tum duces urbium esse convenit.

Quinetiam et in rebus adversis suam virtutem expromebant. Absumpta enim classe in Hellesponto, sive id ducis vitio, sive Deorum voluntate contigerit, eaque calamitate maxima illata cum nobis qui præcipue pertulimus, tum cæteris etiam Græcis, declararunt non multo postea, hujus civitatis potentiam Græciæ esse salutem. Imperio enim ad alios translato, Græcos mari superarunt qui antea navem non conscenderant, et in Europam navigarunt. Protinus in servitutem ducuntur Græcorum urbes, constituuntur tyranni, partim post nostram calamitatem, partim post Barbarorum victoriam. Quamobrem tum Græciæ convenit ad hunc tumulum tonderi, eosque qui hîc sepulti sunt lugere, quasi eorum libertas pariter cum istorum virtute sepulta fuisset. O infelicem Græciam talibus viris orbatam! Fortunatum vero Asiæ regem, qui alios nactus sit Græciæ imperatores! Illi enim hisce destitutæ obo ta est servitus; huic vero, aliis imperantibus, (p. 155.) æmulatio majorum consilii et instituti.

Atque ad hæc pro universa Græcia lamentanda avocabar. Eos autem homines decet et privatim et publicè commemorare, qui servitutem fugientes, et pro jure decertantes, et pro populari statu dimicantes, omnes homines nacti hostes, in Piræum descendebant, non legbus coacti, sed à natura persuasi, novis periculis antiquam majorum virtutem æmulati, suæ vitæ discrimine civitatem etiam cum aliis communem comparantes, mortem cum libertate conjunctam potius eligentes quam vitam cum servitute, non minus ob domesticas calamitates pudore adfecti, quam hostibus succensentes, cupientes potius in sua patria emori,

quàm

quàm vivere in aliena, socios nacti juramenta et fœdera, hostes vero præter olim infensos tum suos etiam cives. At ne sic quidem adversariorum multitudinem metuentes, sed in suis corporibus periculum ponentes, tropæum contra hostes statuerunt, suæque virtutis testimonia exhibent Lacedæmoniorum tumulos non longe ab hoc sepulchro sitos. Quinetiam suam civitatem pro parva magnam præstiterunt, pro seditiosa unanimem, murosque pro dirutis erexerunt. Ex iis vero qui redierunt, consilio usi eorum factis qui hic jacent consimili, non ad hostes ulciscendos, sed ad civitatem conservandam sese applicuere: et cum neque poterant pati se diminutum iri, neque quidquam suis fortunis accedere expetebant, suam libertatem communicabant cum iis qui servitutem suscipere vellent, (p. 156.) eorum vero servitutem sibi communicari nolebant. Rebus vero maximis et præclarissime gestis quasi argumentis significabant, neque ex sua inertia neque hostium virtute modo succubuisse civitatem. Si enim inter se invicem discordantes vel invitis præsto Peloponnesensibus cæterisque hostibus in suam patriam poterant reverti, manifestum est quod unanimes si fuissent, facile cum illis concertare potuissent. Illi igitur ob discrimina in Piræo omnium hominum admirationem sunt consecuti. Decet vero et hospites etiam qui hìc jacent laudare, qui reip. nostræ auxilio venientes, et pro nostra salute dimicantes, virtutem patriam rati, hujuscemodi vitæ exitum sibi paravere. Pro quibus beneficiis eos civitas publico et luctu et sepultura decoravit, iisque honoribus in omne tempus ornari voluit, quibus ornentur sui cives.

Qui vero nunc sepeliuntur, Corinthiis à veteribus amicis injuriâ affectis auxiliantes et communes socii facti, non eandem quam Lacedæmonii mentem præstitere. Hi enim eorum fortunis invidebant, illi autem injuria oppressos miserabantur, non veterum simultatum memores, sed præsentem amicitiam magni æstimantes, virtutem suam cunctis mortalibus claram exhibentes.

exhibentes. Aufi funt enim Græciam illuftrem reddentes, non folum pro fua falute periclitari, verum etiam pro hoftium libertate interire. Nam cum Lacedæmoniorum fociis conjuncti pro eorum libertate dimicabant. Si igitur viciffent, hos eadem atque illos conditione uti dignati effent. Sin autem victi effent, fervitutem omnibus in Peloponnefo certam reliquiffent. Eis igitur ita animatis vita erat miferanda, mors autem optabilis. Hi vero (p. 157.) tum vita tum morte invidendi, qui in pueritia inftituebantur majorum præclare geftis, et viri facti cum majorum gloriam confervarunt, tum fuam etiam virtutem demonftrarunt. Multorum enim et infignium fuæ patriæ caufæ exftiterunt, aliorum res infeliciter geftas correxerunt bellumque longe a patriae finibus amoverunt. Id demum mortis genus obierunt, quod fortes obire decet, patriae nimirum educationis praemia perfolventes, et parentibus lugendi caufam relinquentes. Superftites igitur decet horum defiderio affici, fe ipfos lamentari, eorumque adfines miferari propter reliquum vitae fpatium. Quaenam etenim eis oblectatio relinquatur, hujusmodi viris fepultis, qui omnia virtute minora ducentes, fuas vitas projecere, uxores viduas, liberosque orbos reliquere, fratres vero cum parentibus defertos conftituere? Haec vero cum multa et gravia fint, liberorum tamen fortunas laudo, quod ea fint infantia ut pernofcere non poffint. Quid enim his acerbius accidere poffit, quam liberos fufcipere, alere et condere, defunctis viribus in fenectute, omni fpe deftitutos, fine amicis, fine auxilio? Eis quibus olim erant invidiae nunc effe mifericordiae? Mortemque eis vita effe defiderabiliorem? Quanto enim illi fortiores viri exftiterunt, tanto gravius defiderium fuperftitibus reliquerunt. Quo pacto autem illos lugere definere oportebit? Anne (p. 158.) in civitatis calamitatibus? Tum vero horum meminiffe et alios quoque contigerit. An in publicis fortunis? Tum vero tempus erit dolendi, cum fui liberi mortem oppetiere, eorum autem virtutis fructum con

quanr,

quantur qui superfuerunt. Anne in privatis periculis? *Cum viderint priores amicos eorum solitudinem fugere, inimicos autem in horum infortuniis magna cogitare. Eam igitur solam gratiam referre posse videmur eis qui hîc sepeliuntur? Quos inter vivos rectius plurimi faciamus, quam eorum adfines? Qui eorum virtutis fructum cùm cæteris communicatum percepere, solos autem justus ex morte dolor adtingebat. Sed hæc non esse lamentanda video. Neque enim nos fugit mortales esse. Quid igitur opus est, quæ olim exspectavimus pati, eorum cura nunc angi, aut naturæ calamitates tam graviter ferre, cum novimus mortem et pessimis et optimis esse communem? Neque enim malos dispicit, neque bonos admiratur, sed seipsam omnibus æqualem exhibet. Si igitur fieri potuisset ut ii qui ex belli periculis salvi evadant in posterum immortales fierent, par erat nimirum ut superstites* [p. 159.] *perpetuo luctu mortuos prosequerentur. Jam vero natura nostra morbis et senectute minor est, et Deus cui sors nostra obtigerit, inexorabilis. Quare oportet illos felicissimos judicare qui pro maximis et pulcherrimis periclitantes ita ex vita excesserunt: non fortunæ permittentes ut de se statueret, neque mortem ultro venientem exspectantes, sed eligentes pulcherrimam. Eorum igitur memoriæ nunquam senescent, et honores omnibus hominibus erunt invidiæ: qui ob naturæ conditionem lugentur ut mortales, propter vero virtutem semper ut immortales prædicantur. Efferuntur ergo publice, eorumque in honorem instituuntur certamina roboris, sapientiæ et divitiarum, quasi fas esset ut qui in bello occubuerunt iisdem honoribus quibus Dii immortales decorentur. Eos igitur ob mortem fortunatos prædico et æmulor, solisque his mortalium duco melius esse quod nascerentur, quoniam cum mortalia nacti sint corpora, memoriam ex virtute immortalem reliquerunt. Veruntamen necesse est antiquis moribus uti, patrioque instituto obtemperantes lamentari eos qui hîc sepeliuntur.*

PLATONIS,

MENEXENUS, *vel* ORAT. FUNEB.

E FORO venis, Menexene? Aut unde? MEN. E foro, ô Socrates, et è Senatu. SOC. Quid tu ad Senatum? An forte quia disciplinæ philosophiæque finem adeptum jam et satis profecisse te putas, majora posthac aggredi studes, nobisque senioribus ipse adeo junior imperare, ut familia vestra semper sicut solita est, aliquem nobis exhibeat consultorem? MEN. Si ipse permittis, ô Socrates, consulisque, operam dabo. Sin contra, nequaquam. Nunc vero idcirco ad consilium profectus sum, quoniam audiveram eligendum esse aliquem qui laudibus defunctos ornet. Nam, ut scis, inferias facturi sunt. SOC. Audivi equidem, sed quem potissimum elegerunt? MEN. Nullum. Nam in crastinum distulerunt. Arbitror autem Archinum vel Dionem electum iri. SOC. Videtur, Menexene, apud plurimas gentes præclarum esse in bello occumbere. Etenim qui sic è vita migrat, funere et sepulchro magnificentissimo honoratur. Et sive pauper quis ita decedat, laudatione non caret, sive etiam vilis quispiam et ignavus, rursus à sapientibus viris extollitur: qui non temerè, sed multo tempore composita et consulta oratione tam egregiè laudant, ut dum et quæ sunt, et quæ non adsunt, de aliquo prædicant, verborum elegantia auditoribus animos quasi præstigiis veneficiisve quibusdam surripiant atque subducant. Civitatem quoque interim ut lubet, exornant, et eos qui in armis occubuerunt, majorumque retexunt nostrorum originem. Nos quoque ipsos adhuc viventes extollunt. Quapropter ego quidem, Menexene, ab illis laudatus, nescio quomodo generosum quiddam de me concipio: cumque illis passim aures præbeo, mirifica suavitate demulceor, statimque me majorem, generosiorem, pulchriorem quam antea reputo: ac sæpenumero hospites aliqui mecum hæc audiunt, egoque apud illos è vestigio præstantior quam antea reddor. Nempe et illis idem quod mihi videtur accidere tam erga me quam reliquam civitatem. Nam ab oratore protinus persuasi mirabiliorem quam prius civitatem existimant.

timant. Atqui gloriosa hæc venustas mihi plusquam triduum manet. Adeo concinna oratio canoraque vox oratoris ore demanans, auribus meis infunditur, ut vix tandem quarta post die vel quinta mei ipsius reminiscar, et ubinam gentium sim, agnoscam. Ac tunc demum fuisse deceptum animadverto, cum me ante putaverim in beatorum insulis constitutum. Usque adeo Rhetores apud nos ingeniosi sunt. MEN. *Semper Rhetores ludis, ô Socrates. Nunc autem vereor, ne illi qui eligetur defutura sit dicendi facultas; subita namque obtigit optio. Quamobrem cogetur forte quisquis dicturus erit, ex improviso quodammodo verba facere.* SOC. *Quînam, ô bone vir? singulis enim istorum sunt orationes dudum in hoc compositæ. Tum nec arduum est de his rebus absque meditatione dicere. Si enim oporteret vel in Peloponneso Athenienses, vel Peloponnesiacos* [p. 167.] *Athenis orare, facundo tunc oratore opus esset, qui persuaderet, et probaretur. Quando autem apud eosdem se quis exercet, quos et laudat, facile ejus verba laudantur.* MEN. *Facilene istud existimas, Socrates?* SOC. *Equidem.* MEN. *An speras eloqui posse te, si opus fuerit, et Senatusconsulto eligaris?* SOC. *Quid mirum, Menexene, me ad dicendum sufficere, qui magistram haudquaquam imperitam in Rhetorica nactus fuerim, quæ et alios multos eloquentes reddidit oratores, et unum Græcorum omnium præstantissimum filium Xanthippi Periclem?* MEN. *Quænam ista? Nunquid Aspasiam dicis?* SOC. *Et hanc dico, et filium Metrobii Connum. Hi namque duo præceptores mihi sunt, Connus quidem Musicæ, Aspasia vero Rhetoricæ. Ita igitur eruditum virum nihil mirum est in his eloquentem esse. Quinimo et siquis etiam deterius quam ego doctus fuerit, Musicam quidem a Lampro, Rhetoricam vero ab Antiphonte Rhamnusio, is tamen poterit inter ipsos Athenienses, Athenienses laudando, sic eloqui, ut ejus ab auditoribus oratio probetur.* MEN. *Quidnam habes quod in medium afferas, si te verba facere oportuerit?* SOC. *Ex me quidem fortasse nihil. Sed heri Aspasiam ipsam audivi funebrem* [p. 168.] *de his orationem dictantem. Audiverat enim quæ et ipse dicebas, Athenienses aliquem electuros esse qui de his orationem haberet. Deinde partim*

mihi ex improviso quæ dicenda forent, partim meo quidem judicio præmeditata exponens, funebrem orationem contexuit, quam dixit Pericles reliquias quasdam ex illa componens. MEN. Nunquid recordareris quæ dicebat Aspasia? SOC. Equidem, nisi injurius sim. Ab ea namque edidici, parumque absuit quin propter oblivionem plagis illa me cæderet. MEN. Cur non refers? SOC. Vereor ne magistra mihi subirascatur, si orationem illius edidero. MEN. Nullo pacto, Socrates. Verum gratificare mihi, seu Aspasiæ, sive cujuslibet alterius orationem dicere placet, dicas modo. SOC. Forte me ridebis, si senex adhuc jocari tibi visus fuero. MEN. Absit, ó Socrates. Dic amabo. SOC. Mos tibi gerendus est. Ferme namque si nudatum me saltare juberes, quando quidem soli sumus, obsequerer. Sed audi jam. Hunc enim in modum, ut arbitror, loqui cœpit, sumens ab ipsis defunctis exordium.

Re quidem ipsa justa his apud nos exhibita sunt, quæ jam assequuti iter fatale peragunt, tam publice a [p. 169.] civitate, quam privatim a suis magnifico sumptu, et frequenti concursu dimissi. Verbis vero laudationem addi lex jubet, ac profecto ita decet. Bene siquidem rebus gestis ex ipsa verborum exornatione, ad eos qui gesserunt apud auditores memoria perennis splendorque provenit. Ea vero opus est oratione, quæ defunctos satis laudet, superstites benigne moneat, filios eorum fratresque ad virtutis ipsorum imitationem hortetur: parentes autem, et majores alios siqui supersunt, consoletur. Quæ igitur nobis talis erit oratio? vel unde potissimum præclaros laudare viros incipiemus, qui viventes virtute propria suos mirifice delectavere, et pro salute viventium offerre se morti non dubitarunt?

Videtur itaque mihi oportere secundum naturam ut boni effecti sunt, ita eos laudare: boni autem ideo provenerunt, quia ex bonis traxerunt originem. Quapropter generosam primo illorum stirpem laudemus. Deinde educationem et disciplinam. Postremo narremus, ita ab eis fuisse res gestas, ut maxime decebat

eos,

eos, qui essent ex talibus oriundi, et ita postmodum educati.

Prima quidem generis horum laus est. quod majorum origo haud peregrina fuit, neque successores hos ita hic reliquit velut inquilinos novosque homines, ex advenis genitos: [p. 170.] sed indigenas ac revera in patria habitantes, viventesque et nutritos non a noverca quidem, ut alii, sed ab ipsa matre ipsorum regione quam habitarunt: in qua et nunc conduntur vita functi, ipsis videlicet in visceribus ejus quæ peperit eos, et nutriit, et excepit. Par est enim matrem ipsam ante omnia honorare: nam ita maxime horum genus excolitur. Est autem regio hæc non solum nobis, sed omnibus hominibus celebranda, cum aliis multis de causis, tum ex hoc præcipue quia diis charissima est. Quod testatur deorum de hac inter se concertatio. Ea vero quæ a diis laudata est, cur non a cunctis hominibus collaudetur? Altera ejus laus erit, quod eo tempore quo tellus omnia animalia omnigena producebat, feras, et pascentia omnia, terra duntaxat nostra ad hæc sterilis erat, agrestibusque animalibus vacua. Proprie vero ex omnibus animantibus hominem genuit, qui cæteris intelligentia præstat, solusque jus ac deos [p. 171.] animadvertit. Quod vero hæc regio et eorum quos pro concione celebramus et nostros majores progenuit, hinc evidentissime licet cognoscere: quia omne quod gignit, alimentum conveniens genito continet. Quo plane discernitur, mulier illa quæ peperit, ab ea quæ infantem simulando supposuit: nam quæ peperit, lacte abundat ad ejus quod genitum est alimoniam, alia vero nequaquam. Tellus itaque nostra materque perspicuum argumentum præbet, quod homines procreaverit. Nam et sola et prima tunc pabula humana porrexit, tritici hordeique fruges, quibus commodissime genus hominum alitur, utpote quæ vere animal id produxerit. Potius autem de terra quam de muliere conjectare id licet. Neque enim terra mulierem conceptu partuque sed terram mulier imitatur. Hujusmodi vero pabulum sine invidia non hominibus solum abunde, verum etiam brutis

subministravit. Posthæc oleum laborum subsidium natis suis suppeditavit. Nutritis autem adultisque filiis principes præceptoresque deos induxit. Quorum nunc prætermittenda sunt nomina. Neque enim nos latet qui vitam nostram munierint, tam artium inventione ad quotidianum victum spectantium, quam traditione peritiaque [p. 172.] armorum ad regionis ipsius custodiam. Ita majores horum geniti atque educati Rempub. instituerunt. Qua de recte habet si paucis dicamus. Res enim pub. hominum educatrix est, bona quidem bonorum, contrariorum vero contraria.

Quod ergo in præclára Repub. enutriti sunt nostri majores, declarandum est, cujus beneficio, et illi qui nunc sunt superstites boni evaserunt, et ipsi adeo illi qui honestam mortem obierunt. Eadem namque Respub. forma quondam, quæ nunc; optimatum videlicet gubernatio, sub quá et his temporibus ac ferme semper ex eo tempore degimus. Eam quidam popularem vocant, alii aliter, utcunque placet. Est autem revera hæc optimatum cum quadam auctoritate populi gubernatio. Semper enim nobis reges sunt, alias generis successione, alias electione creati, sed auctoritatis civitatis plurimum apud populum, qui semper his qui optimi judicantur magistratus impertit. Ubi neque parentum debilitate vel paupertate vel ignobilitate quisquam rejicitur, neque contrariis de causis honoratur ut in aliis civitatibus fieri solet. Sed una hæc est regula ad munerum rationem definiendam. Quicunque sapiens aut bonus habetur, dominatur et imperat. Causa nobis gubernationis hujusmodi, ex æquo generatio est. Aliæ siquidem civitates sunt ex [p. 173.] variis dissimilibusque generibus constitutæ: quo fit, ut inæquales sint et gubernationes, tyrannides, paucorumque potentiæ. In quibus ita homines vivunt, ut se invicem partim dominos, partim servos existiment. Nos autem nostrique una ex matre omnes, fratres invicem geniti, haud arbitramur invicem nos dominos et servos esse: sed generationis æqualitas nos inducit, ut et legis quæramus æqualitatem, neque

Digitized by Google

que rei prorsus ulli nisi opinioni virtutis prudentiæque cedamus. Quapropter et nostri et horum parentes et hi honeste creati, et in omni libertate nutriti, multa atque præclara facinora apud omnes gentes notissima privatim et publice ediderunt, existimantes libertatis gratia tam adversus Græcos pro Græcis aliis quam adversus barbaros pro cunctis Græcis esse pugnandum.

Enimvero quo pacto in bello juverint Argivos quondam adversus Cadmios, et Heraclidas adversus Argivos, cum Eumolpus et Amazones, ac etiam cum his superiores regionem invaderent, nimis angustum tempus est pro dignitate referre, et poetæ illorum virtutem eleganter carminibus celebrantes in omnes gentes divulgaverunt. Quare si nos eadem nudo sermone repetere nunc aggrederemur, forte videremur illis esse secundi. Hæc igitur ob hanc causam arbitror dimittenda, quandoquidem pro dignitate jam satis celebrata videntur. Quæ vero nondum ut rerum dignitas exigit a poetarum aliquo decantata sunt, necdum tamen ab oblivione quisquam vindicavit, hæc nobis prædicanda nunc arbitror, ut et nos ea laudemus et adjuvemus, provocemusque alios ad eadem [p. 174.] odis aliisque carminibus ut decens est exornanda.

Eorum autem quæ dico, prima hæc extant. Persas profecto cum Asiæ imperarent, et Europæ dominarentur, regionis hujus homines primi inhibuerunt, hinc quidem oriundi, nostri autem progenitores: quorum meminisse, virtutemque laudare et oportet in primis et decet. Eam namque nosse oportet, si quis sufficienter laudaturus sit res ab illis eo in tempore gestas, quo Asia omnis tertio jam regi servierat. Quorum primus Cyrus magnitudine quadam animi cives suos Persas in libertatem redigens, simul dominos Medos subjecit, totique Asiæ usque ad Ægyptum imperavit. Filius autem ejus Ægypto quoque et Libyæ, quousque penetrare dabatur. Tertius Darius, pedestri pugna usque ad Scythas extendit imperium. Navali autem, mari, et insulis est dominatus. Quo factum est, ut repugnare illi nullus auderet. Animi quidem hominum

minum omnes ſervili quadam formidine abjecti jam erant: adeo multæ, frequentes, et bellicosæ gentes ſub Perſarum imperio tenebantur Nos autem Eretrienſeſque accuſans Darius quaſi Sardibus inſidiaremur, et hanc belli occaſionem nactus, quingenta hominum millia claſſibus miſit, naves vero trecentas, hiſque Datim præfecit, atque illi mandavit, ut captivos ad eum Etretrienſeſque et Athenienſes duceret, ſi ſuum ipſius caput ſalvum eſſe vellet.

Ille navibus advectus Eretriam, [p. 175.] ubi non pauci erant, ac præterea in rebus bellicis inter Græcos eorum temporum illuſtriſſimos numerabantur, triduo eos captivos fecit, ac omnem regionem ſic exploravit, ut ne ulli eſſet effugiendi locus: hoc ſcilicet modo: Nempe ad fines Eretriæ profecti milites ejus, et a mari in mare ſeſe extendentes, diſcurrenteſque junctis invicem manibus univerſam regionem protinus percurrerunt, ut regi referre poſſent, neminem ſe ſubterfugiſſe Eodem conſilio ex Eretria Marathonem deſcenderunt, utpote quod illis ad id aptiſſimum erat. ut Athenienſes una cum Eretrienſibus quaſi ſub eodem jugo ducerent captivos His autem partim quidem ita peractis, partim vero tentatis, nullus Græcorum præter Lacedæmonios Eretrienſibus Athenienſibuſve ſuccurrit. Et ii ſequenti poſt pugnam die venerunt, cæteri autem omnes perterriti ſunt, ac bene ſecum agi putantes ſi periculum præſens evaderent, quieverunt. Ex hoc intueri licet quanta illorum virtus fuerit, qui in Marathone barbarorum impetum ſuſtinuerunt, eorumque ſuperbiam domuerunt. Primi ſane de barbaris triumpharunt, et exemplo reliquis oſtenderunt, [p. 176.] Perſarum vim haud inexpugnabilem eſſe, imo vero et multitudinem omnem, et divitiarum copiam virtuti parere. Eos equidem viros non modo noſtrorum corporum genitores, ſed et libertatis tum noſtræ, tum omnium qui in hujuſmodi habitant continenti, auctores arbitror extitiſſe. His namque exemplis provocati poſteriores Græci in ſequentibus bellis pericula omnia pro ſalute ſua ſubire non dubi-

dubitarunt, discipuli profecto illorum qui in Marathone Persas profligavere. Primam itaque palmam oratione illis tribuere decet, secundam vero iis qui circa Salaminam Artemisiumque hostes prælio navali vicerunt. Multa nempe ab his viris gesta narrare possemus, et quantos casus sustinuerint terrâ marique, quamque forti animo eos propulsarunt. Quod autem præ cæteris egregium puto, nunc referam. Nam quod restabat post bellum Marathonicum, perfecerunt. Siquidem qui in Marathone certarunt, hoc tantum Græcis demonstraverunt, quod terrestri pugna pauci quidem Græci multorum impetum barbarorum frangere possent. Maritima vero victoria adhuc incerta, existimabanturque Persæ in maritimis præliis, et multitudine et divitiis arteque et robore inexpugnabiles esse. Hoc itaque in his qui tunc navibus pugnavere, laude dignum est, quod metum Græcis insitum penitus depulerunt, feceruntque ne amplius navium virorumque numerum pertimescerent. Utrisque his factum est, tam in Marathone terra pugnantibus, quam mari postea circa Salaminam, [p. 177.] ut reliqui Græci et docerentur et provocarentur, ab illis quidem terra, ab his autem mari, ad prælia contra barbaros intrepide committenda. Tertium assero quod in Plateis gestum est, et numero et virtute, salutis Græcæ causam extitisse. Commune vero id jam Lacedæmoniis, et Atheniensibus facinus. Igitur omnes hi Græci in summis a nobis, et a posteris laudabuntur.

Posthæc multæ insuper Græcorum urbes adhuc sub barbaris erant. Rex autem minabatur Græcos se iterum invasurum. Decet profecto illos commemorare, qui superiorum operibus salutis extremam manum imposuerunt, cum omnem ex mari barbariem depulissent. Hi vero fuerunt qui circa Eurymedontem classe pugnarunt, et in Cyprum militaturi se contulerunt: itemque in Ægyptum navigavere, plurimasque alias terrarum oras peragrarunt. Horum meminisse oportet, his gratia est habenda, quod regem perterritum coegerunt de salute sua cogitare potius quam ad Græcorum

rum perniciem insidias tendere. Atque id bellum per omnes urbes diffusum fuit, dum Græci seipsos omnesque linguæ ejusdem homines adversus barbaros tutarentur.

Pace verò demum confecta, honorataque civitate, contigit ei quod solet ab hominibus in eos quibus prospere res succedunt oriri, primò quidem æmulatio, ab æmulatione deinde invidia, quæ hanc civitatem invitam in bellum cum Græcis gerendum traxit. Post hæc inito bello in Tanagra congressi sunt, pro libertate Bœotiorum adversus Lacedæmonios concertantes. Cumque incertus pugnæ esset eventus, quod postea sequutum est, rem ipsam aperuit. Plerique sane aufugerunt destituentes Bœotios, quibus auxilium allaturi convenerant. Nostri autem die tertia in Œnophitis potiti victoria, eos qui injuste fugerant, juste reduxerunt. Hi utique primi post bellum Persicum Græcis gratia libertatis auxiliati contra Græcos, viri quidem præclari, et libertatis auctores his quibus opem tulerant, his in monumentis honorati a civitate priores sunt positi. His vero peractis, cum increbresceret bellum, Græcique omnes sumptis armis regionem devastarent, urbique indebitam gratiam referrent, eos nostri navali prælio superarunt, et eorum duces Lacedæmonios comprehenderunt: quos quamvis jugulare liceret, dimiserunt, pacemque firmarunt, existimantes adversus ejusdem generis homines ad victoriam usque pugnandum, neque ob propriam civitatis indignationem Græcorum communionem penitus dissolvendam, sed adversus barbaros ad necem usque certandum. Hos itaque laudare viros decet, qui hoc bello peracto hîc jacent, quoniam ostenderunt inanem esse illorum suspicionem, siqui Atheniensem virtuti diffisi opinentur in primo contra barbaros bello alios quosdam præstantiores Atheniensibus extitisse. Hi enim omnis cum Græcia seditionibus agitaretur, ipsique viros cæteris Græcis præstantiores bello superatos comprehendissent, declaraverunt eos seorsum se vincere, quibuscum communiter barbaros expugnaverant.

Tertium

Tertium post pacem hanc bellum improvisum et grave exortum est, in quo cum multi fortesque viri occubuissent, hîc conduntur. Quorum multi circa Siciliam plurimis sunt potiti victoriis pro salute Leontinorum, quibus jurejurando astricti opem ferebant, quo fœdere ad ea loca navigaverant. Cum verò diuturna esset navigatio, ac interim rerum discrimine penuriaque civitas premeretur, neque illis posset succurrere, [p. 180.] negatis subsidiis res eorum haud prospere successerunt. Quorum hostes belloque adversarii majorem temperantiæ virtutisque laudem quam amici aliorum habent. Multi præterea navali bello per Hellespontum die una omnes adversariorum naves ceperunt, plurimasque alias devicerunt. Bellum verò idcirco insperatum durumque vocavi, quia nullus existimasset reliquos omnes Græcos contra civitatem tam acerrimo studio contentionis accendi, ut regem illum barbarum infensissimum, quem una nobiscum expulerant, rursus per legatos ad bellum Græcis inferendum irritare non dubitarent, et universos tum Græcos, tum barbaros ad hanc urbem obsidendam colligere. Ubi præcipue potentia virtusque civitatis hujus effulsit. Nam cum existimarent eam jam succubuisse, navesque obsessæ circa Mitylenem essent, ipsi auxilium laturi sexaginta naves ingressi, viri quidem sine controversia fortes, hostem profligarunt, liberarunt amicos, cum indigno cæsu circumventi, non autem mari interfecti essent, hîc jacent. Quorum semper cum laude meminisse decet. Nam illorum virtute non modo tunc ex navali certamine, sed reliquo etiam prælio victoriam reportamus. Etenim propter illos tantam est nostra civitas gloriam consecuta, ut nunquam expugnari posse nec ab omnibus quidem hominibus crederetur. Quod certe haud procul a veritate abest. Neque [p. 181] enim aliorum insidiis viribusque, sed propria dissensione devicti sumus. Nempe nunc etiam ab exteris sumus invicti. Sed ipsi nos expugnavimus, nobis ipsis succubuimus.

Post hæc tempora pacatis omnibus, cumque aliis pace

pace confecta, intestina nobis seditio coorta est, in qua se ita gesserunt, ut si quidem omnino fatis decretum esset homines seditionibus agitari, nemo videatur aliter ægrotare patriam optaturus. Nam ex Piræo et Urbe quam benigne atque domestice præter cæterorum Græcorum opinionem cives invicem conflixerunt! bellumque adversus eos qui Eleusine erant concitum, quam moderate transegerunt atque sedarunt! Horum profecto omnium alia nulla est causa præter veram ipsam cognationem, quæ amicitiam firmam atque cognatam non sermone, sed re his hominibus indidit. Oportet autem eos etiam qui hoc in bello mutuis vulneribus conciderunt, memoria colere, et utcunque possumus, inter se eos conciliare votis sacrificiisque pro illis qui superavere peractis, quandoquidem et nos conciliati sumus. Neque enim improbitate inimicitiisque sed infelicitate quadam manus invicem conseruerunt. Horum vero testes sumus ipsi superstites. Nam cum illis [p. 182.] genere conjuncti simus, mutuo damus veniam, et recipimus, siquid vel in alium intulimus, vel perpessi sumus ab alio.

Deinde cum in summa rerum tranquillitate quiesceret civitas, barbaris quidem ignoscebat, quod infestati ab illa satis fortiter repugnaverant: Græcis autem indignabatur, quia pro acceptis beneficiis injuriam quandoque retulerant, dum societatem cum barbaris inirent, navesque quibus fuerant servati, diriperent, dissiparentque muros quibus nos mœnia eorum ne corruerent, quandoque defendissemus. Instituit itaque civitas ultra haud tueri Græcos, siquando vel a Græcis, vel a barbaris opprimerentur. Cum vero nos in hac essemus sententia constituti, putarentque Lacedæmonii nos libertatis tutores jacere, opus vero suum fore posthæc, ut alios subjugarent, sic egerunt. Quid multis opus est verbis? Neque enim vetera, neque multis retro seculis gesta dicerem quæ sequuntur. Neque nos latet, perterritos Græcorum primos Argivos, Bœotios, Corinthios auxilium civitatis hujus imploravisse. Quod-

Quodque omnium divinissimum est, rex ipse tanta est indigentia pressus, ut non aliunde quam ex hac civitate quam omni studio diruere conatus fuerat, salutem suam tutari posse consideret. Enimvero siquis hanc civitatem incusare jure voluerit, hoc duntaxat objicere poterit, quod misericordia nimis semper afficiatur, diligentiusque sublevat succumbentem. Ea siquidem tempestate tolerare non potuit, quodve instituerat ultra servare. Decreverat sane nullis unquam eorum a quibus injuriam accepisset, succumbentibus opem ferre. Mutavit [p. 183.] tamen propositum, et auxilium præstitit. Unde Græcos liberavit a servitute, ita ut liberi vixerint donec ipsi se invicem subjugarunt. Regi vero succurrere ausa est minime. Verebatur enim triumphos ex Marathone, Salamina, Platæis antea reportatos. Sed quum sineret fugitivos et volones opem ferre, sine controversia eum quoque servavit. Structis autem muris, fabricatisque navibus, belloque suscepto quando coacta est bellum gerere, pro Pariorum salute contra Lacedæmonios dimicavit. Metuens vero civitatem rex, postquam Lacedæmonios viderat navale bellum renuere, et idcirco deficere volens, postulavit Græcos qui in continenti erant, quos prius ipsi Lacedæmonii exhibuerant, si propugnandum foret nobiscum cæterisque belli sociis, arbitratus hoc sibi negatum iri, quod deficiendi a nobis occasionem nancisceretur. Ubi a propugnatoribus sociisque aliis est deceptus. Namque exhibere illi voluerunt, conveneruntque, jurejurando adhibito, Corinthii, Argivi, Bœotii, cæterique belli socii, si daret pecunias, ut eos illi qui in continenti erant Græcos traderent. Soli vero neque tradere, neque jurare tunc ausi sumus. Usque adeo mos civitatis hujus generosus, liber, constans, integer, et natura barbaris est infensus, propterea quod homines hi absque ulla barbarorum commixtione puri integrique sunt Græci. Neque enim miscentur nobiscum Pelopes, aut Cadmii, aut Ægyptii, Danaive, aliique permulti, natura quidem barbari,

lege solummodo Græci, sed ipsi Græci duntaxat nulla prorsus infecti barbarorum confusione perseveramus.

Quæ [p. 184.] quidem puritas odium huic civitati adversus genus alienum ingenuit. Soli rursus purique ex hoc perseveravimus, quod opus profanum perpetrare noluimus, Græcosque barbarorum manibus tradere. Ad hæc igitur descendentes, ex quibus primo superati fuimus, favente Deo, felicius quam tunc bellum constituimus. Nam retinentes naves, muros, nostrasque colonias, a bello liberati sumus: adeo libenter et hostes ipsi destiterunt. Viros tamen fortes hoc quoque in bello amisimus, partim apud Corinthum regionis asperitate, et angustia interceptos, partim proditione apud Lechæum profligatos. Insignes quoque viri, qui et regem liberavere, et ex mari Lacedæmonios expulerunt. Quos ego equidem in memoriam vobis reduco. Vos autem viros hujusmodi collaudare celebrareque decet.

Atque opera quidem hæc virorum hìc jacentium, cæterorumque omnium quicunque pro patria obierunt, quæ relata sunt, multa sunt, atque præclara: sed quæ restant, plura admodum præstantioraque sunt. Atqui dies multi vix noctesque sufficerent, siquis omnia complecti voluerit. His ergo memoria repetitis, unumquemque virum oportet natos horum assidue exhortari, ut tanquam in bello majorum suorum ordinem servent, neque per ignaviam aufugiant. Equidem, ô virorum præstantium filii, vos ipse et in præsentia exhortor, et [p. 185.] in posterum quemcunque vestrûm nactus fuero, admonebo semper, et cohortabor, ut quam optimi evadere contendatis. Nunc quoque par est vobis referre quæ nobis patres vestri mandarunt posteris prædicare, siquid paterentur, cum foret periclitandum. Recensebo igitur vobis in præsentia quæ ex illis ipsis audivi, quæve ipsi nunc vobis, si facultas daretur, libenter præciperent. Conjecturam equidem ex illis quæ quondam dicebant, facio. Existimate vero nunc quæ referam illos ipsos audire loquentes. Hunc autem in modum exorsi sunt.

Quod

Quod ex præclaris parentibus orti estis, ô filii, præsentia vobis testantur: profecto cum nobis liceret turpiter vivere, honeste emori maluimus, quam vos cæterosque posteros infamiæ cuiquam subjicere, ac parentibus nostris majoribusque dedecori esse, putantes homini suos dedecoranti non esse vivendum. Ei namque neque in vita, neque post mortem amicum aliquem esse, vel hominum vel deorum. Oportet igitur vos verborum nostrorum memores, siquid aliud exercetis, cum virtute exercere, scientes absque virtute exercitationes et possessiones omnes turpes malasque esse. Divitiæ namque splendorem afferunt nullum eas cum ignavia possidenti. Neque enim sibi hic, sed alteri parat possidetque divitias. Neque forma corporis atque robur timido ac parvo cum insunt, decorem præstant. Eum namque dedecent, notiorem efficiunt, ignaviam patefaciunt. Præterea scientia quævis, si a justitia et reliqua virtute sejungatur, non sapientia, sed calliditas esse videtur. Quorum causa et primo, et postremo, atque per omnia omni studio diligentiaque contendite, ut et nos, et majores nostros virtutis gloriâ [p. 186.] superetis. Alioquin scitote, si vobis virtute præstemus, victoriam hanc nobis dedecus allaturam, sin superemur a vobis, felicitatem. Ita vero maxime nos quidem superabimur, vos autem superabitis, si eâ ratione vitam instituetis, ut majorum gloria non abutamini, neque eam, ut ita dixerimus, expendatis erogetisque, scientes viro aliquid esse se existimanti nihil turpius posse accidere, quam seipsum honorandum non propriam ob virtutem, sed propter gloriam superiorum præbere. Gloria enim parentum natis præclarus est magnificusque thesaurus. Uti vero pecuniarum honorumque thesauro, et hunc ad posteros non transfundere, propriæ possessionis gloriæque defectu, turpiter et a viri generositate penitus alienum. Si igitur hæc exercueritis, quum debito fato concesseritis chari ad nos filii charos parentes proficiscemini. Sin autem neglexeritis hæc, et improbi evaseritis, nemo vos libens excipiet. Natis quidem nostris hæc sint dicta.

 Patres

Patres autem noſtros, ac matres, ſicui noſtrum ſuperſunt atque conſolatione indigent, conſolari oportet, quia deceat facile quæcunque acciderint ferre, neque cum illis una deplorandus eſt caſus; lamentationibus enim aliorum non indigebunt: ſatis enim ſors triſtitiæ illis inferet. Mederi profecto lenireque oportet, et in primis illud commemorare, quod maxima eorum quæ exoptare ſolent, exaudientes dii jam tribuerunt. Neque enim immortales ſibi filios dari, ſed bonos et illuſtres optabant. Cujus quidem voti compotes effecti ſunt, quod maximum exiſtimandum eſt bonum. Omnia [p. 187.] verò mortali viro ad votum in vita ſuccedere, haud facile eſt. Atqui ſi ſortem forti animo tolerabunt, videbuntur revera fortium filiorum parentes ipſique fortes eſſe. Sin autem dolori ſuccumbent, ſuſpicionem hominibus inferent, ne forte aut parentes noſtri minime ſint, aut qui nos laudibus efferunt, mentiantur. At horum neutrum evenire oportet, imo verò laudatores noſtros re ipſa præcipue illos eſſe, oſtendentes ſe revera parentes viros eſſe virorum. Enimvero vetus illud proverbium, Nequid nimis, ſcitè dictum videtur. Nam qui ita ſe comparavit, ut ex ipſo pendeant omnia quæ ad beatitudinem ei conferunt, aut quamproxime ad hoc accedat, ut nec ex aliis pendeat hominibus, qui ſi vel bene vel male agant, hîc ſua quoque mutare cogatur: is optime vitam inſtituit temperans, fortis, prudens is eſt: hîc ſive pecunias nanciſcatur ac filios, ſive amittat, proverbio ſemper parebit. Nunquam enim nimis aut lætitiâ exultabit, aut dolore dejicietur, propterea quod ipſi pareat. Tales eſſe et noſtros debere judicamus, et volumus. Atqui et in præſentia nos ipſos tales penitus exhibemus, haud certe perturbatos, vel nimio metu perterritos, ſi nunc vita decedere nos oporteat. Oramus quoque patres noſtros ac matres, ut ſimiliter affecti vitam futuram agant, ſcientes quod non lamentationibus ejulationibuſque maxime nobis gratificabuntur: verum ſiquis eſt his, qui defuncti ſunt, ſenſus viventium, ita maxime nobis moleſti futuri ſunt, ſi

ſeipſos

seipsos perdiderint, et in quem sortem tulerint: sin autem moderate ac leviter, nobis summopere obsequentur: (p. 188.) nostra porro eum jam finem habebunt, qui hominibus est pulcherrimus. Quamobrem collaudanda sunt potius quam deflenda. Profecto si uxores nostras filiosque tuebuntur, et nutrient, et his incumbent, ita maxime casus oblivioni mandabunt, pulchriusque et rectius nobisque gratius vitam agent.

Hæc igitur nostro nomine nostris prædicare sufficiet. Civitati vero mandamus, ut parentum nostrorum filiorumque curam habeat; et hos quidem honeste erudiat, illorum vero senium digne foveat. Cognovimus certe vos, etiamsi hæc minime præceperimus, optime curaturos.

Hæc igitur, ô filii defunctorum atque parentes, ut moneremus illi mandarunt: ego vero quantum possum, diligentissime moneo, eorumque nomine obsecro, juniores quidem, ut præclaras suorum res imitentur: seniores autem, ut de se optime sperent. Nempe senectutem vestram privatim publiceque alemus: et quemcunque ex illorum progenie nacti fuerimus, summa benevolentia complectemur. Civitatis vero providentiam ipsi minime ignoratis, quæ statutis legibus, parentes et filios eorum qui in bello interiere, tutatur, et ante alios cives summo magistratui talium committit curam, ne ulla [p. 189] prorsus injuria parentes horum afficiantur. Filios autem educat ipsa studetque ut illis ignota sit orbitas. Nam ipsa parentis gerit vicem et dum pueri sunt, et cum ad maturam ætatem venerunt, ad officia sua transmittit, omni armatura fulcit et ornat, patris studia ostendit, et memorat, dum paternæ virtutis tribuit instrumenta. At simul auspicii gratia jubet tunc primum domum paternam ingredi filium quasi imperaturum, et armis cum robore fultum. Eos præterea qui decesserunt e vita, honorat, ceremonias quotannis lege decretas communiter cunctis instaurans, quæ privatim unicuique proprie peragi solent. Gymnica item certamina equestriaque instituit, musicosque ludos varios adhibet. Ac

profecto quod ad defunctos spectat, hæredis et filii subit conditionem: quoad filios patris: quoad parentes cæterosque hujusmodi, curatoris, omni diligentia semper omnibus providens. Quarum rerum animadversione quæ acciderunt, æquo animo ferre [p. 190.] debetis. Nam hoc pacto et mortuis, et viventibus eritis gratiores, facileque curabitis, et facile curabimini. Nunc vero vos, ac cæteri omnes qui communiter secundum legem eos qui naturæ cesserunt, jam lugubribus expiationibus prosecuti estis, abite.

Hic est, ô Menexene, Aspasiæ Milesiæ sermo. MEN. Per Jovem, ô Socrates, beatam dicis Aspasiam, si cum mulier sit, tales potest orationes componere. SOC. At si minus credis, sequere me, dicentem ipsam audies. MEN. Sæpenumero cum Aspasia fui, Socrates, et qualis sit, novi. SOC. Cur igitur eam non venераris? Cur non habes propter hanc orationem illi gratiam? MEN. Ingentem equidem habeo gratiam mulieri huic, seu viro, quisquis tibi orationem hanc tradidit. Ac præ cæteris multis narranti gratiam habeo. SOC. Bene quidem. Sed ne me prodas, ut deinceps multas ejus præclarasque de civilibus rebus orationes tibi reenseam. MEN. Bono animo es. Non prodam. Referas modo. SOC. Fiet ut postulas.



LIBRI GRÆCI excusi apud J. POTE, Etonens.

I. POETÆ GRÆCI; sive, Selecta ex Poetis Græcis, viz. *Homeri Odyss. Hesiodo, Callimacho, Apollonio Rhod. Tyrtæo, Sapphone, Erinna, Mimnermo, Solone, Simonide, Theognide, Xenophane, Ione, Pindaro, Euripide, Bacchilide, Critia, Callistrato, Bione, Moscho, Musæo.* Cum vulgata Versione emendata, ac variis partim Scholiastarum Græcorum, partim Doctorum recentiorum notis. In usum Regiæ Scholæ Etonensis. Editio nova recensita. *Etonæ*, 1772. 6s.

II. SCRIPTORES GRÆCI; sive, Selecta ex Scriptoribus Græcis, *viz.* Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Platone, et Luciano, cum Versione Latina et Notis, in usum Regiæ Scholæ Etonensis. Editio nova recensita. *Etonæ*, 1772. 6s.

III. DEMOSTHENIS ORATIONES SELECTÆ: Textum, Scholiasten, ac Versionem castigavit, et Notis illustravit R. MOUNTENEY, 8vo. Editio quinta, 1771. 5s.

IV. THESAURUS GRÆCÆ POESEOS: sive Lexicon Græco-Prosodiacum; Versus, et Synonyma, (tam ad Explicationem Vocabulorum, quam ad Compositionem Poeticam pertinentia) Epitheta, Phrases, Descriptiones, &c. (ad modum Latini *Gradus ad Parnassum*) complectens. Opus, in studiosæ Juventutis gratiam et utilitatem, ex optimis quibusque Poetarum Græcorum Monumentis, quæ adhuc prodierunt, nunc primum constructum. Cui præfigitur, de Poesi, seu PROSODIA Græcorum Tractatus. Ad finem adjuncta sunt, Vocabula quorum in Syllabis de Quantitate aliquid sit dubii, ex Carmine, non satis noto, aut in eadem sede diversos pedes admittente.—Notantur etiam Syllabæ controversæ, et Ancipites dictæ. Autore T. MORELL, S. T. P. *Etonæ*, 1762, 4to. 1l. 1s.

V. ΠΟΙΚΙΛΗ ἹΣΤΟΡΙΑ, sive, Novus Historiarum, Fabularumque Delectus, ex Æliano, Polyæno, Aristotele

tele, Dionysio Halica n. Maximo Tyrio, aliisque Scriptoribus Græcis, à JAC. UPTON, Coll. Regal. Cantab Socio, antehac editus. Editio altera, cuiq; nunc primum accessere Orationes tres funebres, *scil.* Periclis, Platonis dicta *Menexenus*, et Lysiæ. Opus ad erudiendæ Juventutis gratiam editum et Notis illustratum. *Etonæ*, 1775. 3s.

VI. LUCIANI DIALOGI, Gr. Lat. cum nova Versione et Notis, à N. KENT. 8vo. Editio nova, 1770. 5s.

VII. ÆSOPI FABULÆ, Gr. Lat. cum novis Notis, necnon Versione emendatâ; Editio ad usum Juventutis accommodata. *Etonæ*, 1772. 2s.

VIII. ARISTOPHANIS PLUTUS, Gr. Lat. cum Scholiis Græcis selectis. Editio castigata, et ad usum studiosæ Juventutis accommodata. *Etonæ*, 1768. 8vo. 2s. 6d.

IX. EURIPIDIS MEDEA, Gr. Lat. cum Scholiis et Notis. 4to. 2s. 6d.

X. SCRIPTORES ROMANI, sive Selecta ex Scriptoribus Romanis, *viz.* M. T. Cicerone, T. Livio, Corn. Tacito, C. Plinio, et Vell. Paterculo; in usum Regiæ Scholæ Etonensis. Editio nova. *Eton.* 1771. 5s.

XI. M. T. CICERONIS OPUSCULA; hoc est, Cato Major, seu, de Senectute; Lælius, seu, de Amicitia; Paradoxa; Somnium Scipionis. Præfigitur Ejusdem M. T. Ciceronis VITA LITTERARIA. *Eton.* 1768. 2s.

4.

